CONCILIVM PROVINCIALE

PRIMVM ET SECVNDVM SANCTAE SEVERINAE

ſub

Franciſco Antonio Sanctorio Archiepiſcopo.



DECRETA
EDITA IN PRIMA,
&
REPETITA IN SECVNDA SYNODO PROVINCIALI SANCTAE SEVERINAE

ſub

Franciſco Antonio Sanctorio, Archiepiſcopo.

NOS Franciſcus Antonius Sanctorius, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Archiepiſcopus Sanctæ Seuerinæ, de Reuerendiſsimorum Dominorum Patrum Coepiſcoporum conſilio, & aſſenſu, in Prouinciali Synodo noſtra Sanctæ Seuerinæ legitime congregata, hæc, quæ ſequuntur, ſtatuimus, decernimus, & ordinamus.

De Fidei Orthodoxæ profeſsione.

INter omnes Paſtoralis officij ſolicitudines, præcipua, quæ ad Catholicæ fidei integrita-

tem pertinet, uersari debet, ut, quæ totius spiritualis ædificij fundamentũ est, inuiolata permaneat, ac omnes in eius puritate immobiles persistant. Quare ab eiusdem fidei negotio, ueluti omnium præstantissimo, exordiendũ esse duximus, eandẽ fidem iuxta formulam a fe. re. Pio Papa IV. traditam unanimiter profitentes, quam hic inferius subijciendã esse uisum fuit.

Formula professionis Fidei Orthodoxæ.

EGo N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur: uidelicet:

Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, uisibilium omnium, & inuisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis; Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cælum, sedet

det ad dexteram Patris. Et iterum uenturus est cum gloria iudicare uiuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & uiuificantem, qui ex Patre, Filioq. procedit, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, Et uitam uenturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & cõstitutiones firmissime admitto, & amplector.

Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quẽ tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de uero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse uere, & proprie Sacramenta nouæ legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria: scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem,

& Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de Peccato originali, & de Iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo uerum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro uiuis, & defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse uere, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, una cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; fieriq. conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ uini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, uerumq. Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse; Animasq. ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.

Similiter, & Sanctos una cum Christo regnãtes uenerandos, atque inuocandos esse, eosq. orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse uenerandas.

Fir-

Firmiter aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, & uenerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam eſſe, illarumq. uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanã Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoq. Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, ueram obedientiam ſpondeo, ac iuro.

Cetera item omnia, a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc ueram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & ueraciter teneo, eandem integrã, & immaculatam uſque ad extremum uitæ ſpiritum conſtantiſsime (Deo iuuante) retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri,

neri, doceri,& prædicari,quantum in me erit, curaturum, Ego idem N. spondeo, noueo,ac iuro. sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Hanc ipsam Fidei professionem, ac sponsionem, iuxta præscriptum Sacri Tridentini Concilij, & litterarum eiusdem Pij Quarti, & nos ipsi, & Coepiscopi nostri, ac omnes alij, qui ad hoc Concilium Prouinciale admissi sunt, publice fecimus; atque ita eandem ab omnibus qui Dignitate, Canonicatus, & Præbendas, necnon alia Ecclesiastica beneficia obtinent, uel in futurū obtinebunt, qui in Synodo Diœcesana conuenire debent, in proxima Diœcesana Synodo ab eorum Ordinario habenda, palam,& sollemniter fieri mandamus.

Sed insuper, iuxta sacri Concilij Tridentini decretum,& litteras Apostolicas prædictas, prouisi de beneficijs quibuscumque Ecclesiasticis curam animarum habentibus teneantur a die adeptæ possessionis,saltem intra duos menses, in manibus sui Episcopi,uel,eo impedito, coram Generali eius Vicario,eandem Orthodoxæ Fidei publicam facere professionem. Prouisi uero de Canonicatibus,& Dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solum coram

Episco-

Episcopo, uel eius Vicario generali, sed etiam in Capitulo, intra eundem terminum, idem facere teneantur. alioquin, iuxta decretum ipsum, declaramus omnes prædictos fructus suos non facere, nec illis possesionem suffragari.

De eiusdem Fidei professione, per Artium, & facultatum quarumcumque Magistros, et Professores facienda.

CVIuscumque artis, & facultatis Professores, Laici, uel Clerici, siue sæculares, siue cuiuscumque ordinis regulares sint, ad suæ professionis exercitium nullatenus admittantur, nisi prius de eorum religione, & sana doctrina constiterit, eiusdemq. Orthodoxæ Fidei ex præscripta formula professionem fecerint, sub censuris, & pœnis, & alias iuxta litteras fe. re. Pij IV. desuper editas, & promulgatas.

In huiusmodi Fidei professione illud præcipue obseruandum erit, ut uerbis iuxta præscriptam formulam conceptis publice, & palam ab omnibus fiat: utq. ad perpetuam rei memoriam semper maneat, eandem per notarios, uel ordinarios actuarios suos, cum ipsius profitentis subscriptione, in peculiari libro, & gratis an-

notati, uel de ea publicam testationem fieri, Episcopi curent.

De Fidei tuendæ cura, & diligentia.

EPiscopos omnes quam maxime hortamur, & in Domino monemus, ut in sua quisque Ciuitate, & Diœcesi sollerter inuigilet, an aliqui sint, qui a recta credendi norma uel minimum quid declinent; aut, prauis opinionibus imbuti, contra Catholicam Fidem aliquid dixerint, uel fecerint; & in male de eadem Fide sentientes, ne uenenum latius diffundatur, canonice procedant.

Parochos etiam omnes admoneant, ut circa aduenas, & peregrinos quoscumque ad eorum Parochias confluentes, & circumcisos, ac apostatas, qui ab infidelibus reuersi sunt, an adhuc reconciliati fuerint, sedulo inuigilent; & de eorum uita, & moribus, & an eo potissimum anno sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac Dominicis, & festis diebus Missam audiant, diligenter inquirant: &, si qua de ijs suspicio fuerit, ipsis Ordinarijs indicent, ut ab eis, prout expedire iudicauerint, opportune prouideri possit.

De libris exhibendis.

CVm improbatæ lectionis libros ad simplicium mentes inficiendas plurimum nocere compertum sit, propterea Episcopi Regulas Indicis de libris prohibitis, ex auctoritate fe. re. Pij IV. editas, ab omnibus seruari studeant; mandentq. Theologis, Legum Doctoribus, Medicis, ludi magistris, alijsq. libros habentibus, ut librorum suorum notulam pariter ab eis subscriptam infra tempus statuendum fideliter edant. Præcipiant etiam omnibus, qui in eorum opidis, & locis libros tam impressos, quam manu scriptos introducunt, ut illos, nisi prius recogniti, & approbati fuerint, nec retinere, alijs ue legendos tradere, nec modo aliquo uendere, alienare, aut commodare audeant, sub poenis in eodem Indice præscriptis, per ipsos incurrendis.

Heredes quoque, uel Exsecutores ultimarũ uoluntatum libros a defunctis relictos infra mensem post obitum Ordinarijs suis exhibere teneantur, & debeant, nec ipsis uti, aut illos, nisi eorum indicem attulerint, similiter uendere, & alienare ualeant: alioquin nullam excusationem prætendere poterunt, quo minus in censuras, & pœnas, Apostolicis Constitutionibus decretas, incurrisse censeantur.

De sacris uerbis non abutendis.

PRohibeant Episcopi, ne ab idiotis, seu laicis præcipue, & litterarum ignaris, de his, quæ ad Fidem pertinent, nec publice, nec priuatim disputetur. & non solum in eos, si contumaces fuerint, sed etiam in omnes, sacræ Scripturæ uerbis, uel sententijs, ad scurrilia dicta, detractiones, adulationes, superstitiones, incantationes, libellos famosos, aliosq. profanos, & illicitos usus abutentes seuere procedant, & animaduertant.

De Superstitionibus, Maleficijs, Incantationibus, & Sortilegijs omnino tollendis.

SVperstitiosas, & uanas populi obseruationes, quæcumque sint, a subditis suis, tamquam perniciosissima mala, penitus tollendas curabunt Episcopi: graui pœna, ex sacrorum Canonum decretis, proposita, contra resipiscere nolentes procedant. in maleficos autem, sortilegos, lamias, siue strigas, ceterosq. omnes, qui quouis magicæ artis, & ueneficij genere pactiones, & fœdera expresse, uel tacite cum dæmonibus habent, præsertim cum apostaticos, uel infidelitatis, aut idololatriæ actus fecerit, uel maleficium aliquod inde secutum fuerit, uel aliquis Sacramentorum ab-

usus in ipsis sortilegijs, incantationibus, & maleficijs interuenerit, tamquam contra apostatas, seu de apostasia a fide Christiana suspectos, iuxta Canonicas sanctiones seuerissime procedant.

De sacris actionibus non repræsentandis.

PRohibemus, ut deinceps nec in sacro, nec in profano loco, publice, uel priuatim repræsentationes uenerandæ Christi Domini nostri Passionis, & gloriosorum Martyrum certaminum agantur, absque speciali Ordinariorum licentia; qui, quod pietati, aut religioni, congruere iudicabunt, hac in re, pro eorum prudentia, statuent.

De imagine insolita non admittenda, nec nouis miraculis recipiendis, sine Ordinarij licentia.

NEmini, iuxta sacri Tridentini Concilij decretum, liceat posthac ullo in loco, uel in Ecclesia etiam quomodolibet exempta, insolitam aliquam ponere, uel ponendam curare imaginem, nisi de licentia Ordinarij, &, si qua opinio noui miraculi orta fuerit, ad Ordinarium deferatur, qui in præmissis iuxta decretum huiusmodi procedat.

De Fidei principijs a Parochis tradendis, et Schola Magistris.

VT ad Religionem, & Dei cultum pu erorum animi instituantur, & Fidei principijs imbuantur, quibus quasi lacte n utriti solido postea cibo, ceterarumq. uirtutum in crementis augeantur; omnibus huius Prouinciæ Parochis præcipimus, & mandamus, ut singulis Dominicis, & festis diebus a prandio hora congrua pueros suæ parochiæ ad Ecclesiam Campanæ signo dato conuocent, eosq. fidei rudimenta, & Christianam doctrinam, iuxta libellum editum, seu alias summatim, doceant, erudiantque, ut Deo cultum, & reuerentiam, & parentibus, tum spiritualibus, tum carnalibus obedientiam præstent: & eorum parentes, ut idem domi faciant, assidue commoneant, & hortentur.

Litterarij ludi, bonarumq. artium Magistri, non solum libros in Indice fe. re. Pij IV. edito nominatim uetitos, sed etiam alios obscena uel turpia continentes, uel ex quibus boni mores corrumpi possunt, pueris prælegendos, uel interpretandos, nequaquam suscipiant, aut proponant: eosq. uehementer hortamur, ut in tam flexibili ætate, & ad malum prona, discipulos suos Christiana doctrina erudiant, &

bonis

bonis moribus, ac salutaribus praeceptis instituant.

De Praebenda Theologali, & Lectione sacrae Scripturae in Monasterijs instituenda.

SAcrarum Scripturarum lectioni incumbendum esse, in eaq. assidue uersandum, tum Sancti Apostoli ad Timotheum, tum Sanctorum Patrum, & Conciliorum admonitione docemur, nouissime etiam Sacri Generalis Tridentini Concilij decreto iubemur. Quare, ubi in Cathedralibus, aut alijs Collegiatis Ecclesijs insignibus praebenda, seu stipendium sacrae Theologiae doctori, & interpreti hucusque assignatum, uel deputatum non fuit, ne in eis tam utile, tamq. necessarium munus omittatur, statuimus, ut ab Episcopis primo quoque tempore, iuxta praedictum sacri Concilij praescriptum, statuatur, uel ex praebenda quomodocumque, praeterquam ex caussa resignationis, proxime uacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sic, uel alio quouis modo, prout unicuique Praelato uidebitur, & Ecclesiae suae qualitas feret.

Is uero, qui ad lectionem huiusmodi deputatus fuerit, nec publice, nec priuatim admittatur, nisi prius de uita, moribus, & scientia fuerit examinatus, & approbatus, & ad Fidei professionem

ſionem admiſſus, iuxta ſæpe memoratas litte ras Pij Papæ IV.

Is etiam, qui deputatus, & admiſſus fuerit, uel etiam Theologus inſtitutus, ſtatutis diebus, & horis, in loco per Epiſcopum deſignato, ſacræ Scripturæ, atque alios Sanctorum Patrum libros, necnon pro caſuum pænitentialium cognitione neceſſarios, ad curatorum, & aliorum ſacerdotum inſtructionem, interpretetur.

Admoneantur etiam omnium Regularium, etiã mendicantium, huius Prouinciæ ſuperiores, ut in Conuentibus ipſorum, ubi ſacræ Scripturæ lectio commode haberi poterit, illam a Capitulis generalibus, uel Prouincialibus, dignioribus Magiſtris, ſeu Lectoribus, iuxta prædictum decretum, aſsignandam curent: quod ſi facere neglexerint, Epiſcopi omnes, ut Apoſtolicæ Sedis Delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant, auctoritate ſibi decreto Concilij tributa.

In Monaſterijs quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio ſacræ Scripturæ habeatur. qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum, in hoc ut Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant.

Curent Epiſcopi, ut huic lectioni Clerici omnes

ad eam

ad eam idonei, cuiuscumque gradus fuerint, intersint, utq. proficiant, singulos hortentur, & sæpius admoneant.

De prædicatione uerbi Dei.

EPiscopi, quorum primum, & potissimum munus uersari debet in grege pascendo, & in uiam Domini dirigendo, spiritualem panem esurientibus populis frangant; ne, si munere suo desint, impleatur illud: Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Ad quod, Christi doctrina, Apostolorum exemplo, & Sacri Concilij Tridentini decretis innixi, eos uehementer hortamur. At, si legitime impediti fuerint, ut officio huiusmodi per se ipsos (ut decet) satisfacere nequeant, iuxta Canonicas sanctiones per uiros idoneos, ex eiusdem Concilij præscripto eligendos, & deputandos, hoc munus, ea, qua conuenit, diligentia, & pietate suppleant, & Dei Verbum Aduentus Domini, & Quadragesimali tempore, & omnibus Dominicis saltem, festisq. diebus prædicandum curent.

De Prædicatoris electione.

PRædicatoris electionem, seu deputationem ad Episcopos ex sacrorum Canonum, præsertim Concilij Tridentini, dispositione spe-

ctate, & pertinere declaramus: & propterea omnibus sæcularibus Potestatibus, & Vniuersitatibus inhibemus, ne in ea ullo pacto se se ingerere præsumant, non obstantibus contrarijs quibuscumque, quæ idem Concilium uoluit non obstare. Qua in re si difficultatem aliquam, uel dissensionem in posterum forte oriri contigerit, Episcopi pro suo munere libertati Ecclesiarum, sicut magis conducere existimabunt, consulant, aut ad Sanctam Apostolicam Sedem recurrant. Quod si populus, uel Vniuersitas in alijs, quàm Cathedralibus Ecclesijs facultatem nominandi, eligendiue Prædicatorem ab immemorabili tempore legitime præscripserint; eis præiudicare in aliquo non intendimus.

De eo alendo.

Consuetudinem, quæ in Prædicatore publice, uel priuatim alendo, eiq; de eleemosyna, ut plerumque fit, prouidendo Quadragesimæ tẽpore, in hac nostra Ciuitate, & in Prouinciæ locis laudabiliter obseruatur, recipimus, & ab Episcopis amplectendam esse statuimus. Qui si ipsam diuersimode obseruari sciant, iuxta eiusdẽ Concilij Tridentini decretũ, impẽsis suis, uel eorum, qui eas prestare uel tenentur, uel solent, opportune prouideant.

De Prædicatorum, seu Concionatorum officio.

Concionatores, seu Prædicatores omnes, quibus ab Episcopis in suis Ecclesijs, & Diœcesibus uerbi Dei prædicandi munus merito commissum fuerit, admonitos esse uolumus, ut, se non leui, sed omnium grauissimo, & difficillimo muneri præfectos esse existimantes, fideles dispensatores exsistant.

Verbum Dei, iuxta Ecclesiæ traditionem, & Sanctorum Patrum interpretationem, pure, simpliciter, dilucide, & absque ulla ambiguitate prædicare, & explicare studeant; inutiles quæstiones, obscuras propositiones, dubios, & implicitos sermones, qui audientium mentes facile occupant, euitare curabunt.

Ab historijs apocryphis, & miraculorum non approbatorum recitatione, penitus abstineat.

Auditores suos, frequenter propositis pœnis, atque æterni ignis, ac alijs inferorum supplicijs, a peccandi licentia, & consuetudine deterreant, & tamquam freno quodam reprimant, & ad ueram suorum peccatorum pænitentiam conuertere satagant.

Eos etiam, cælestis, ac sempiternæ uitę commemoratis præmijs, facilitate sermonis, ad Dei, & proximi amorem accendant.

Vitia, quæ eos declinare, & uirtutes, quas sectari, & bona opera, quæ exercere oporteat, assidue annuntient, ut infernas pœnas euadere, & cœlestem gloriam consequi studeant.

De Conceptione Beatæ, & Gloriosæ semper Virginis Mariæ, in popularibus cócionibus, propriam sententiam asserendo, & contrariam repellendo, aut impugnando, disputare non præsumant, sed Bullam sanctæ re. Pij Papæ V. desuper editam inuiolabiliter obseruent.

Passionem Saluatoris Dei, & Domini Nostri Iesu Christi illucescente die, nisi locorum Ordinarijs aliter expedire uidebitur, pie, & grauiter exponant; nihilq. in ea, quod a Christiana pietate, & tanti mysterij dignitate alienum sit, etiam ad lacrymas commouendas, dicatur; aut deinceps modo aliquo fiat.

Studebunt Episcopi, ut, cum ipsi prædicare non poterunt, prædicationibus semper assistant; atque Presbyteri, & Clerici omnes, cuiuscumque dignitatis fuerint, ut eis intersint, curent; & sæculares Dominos, Magistratus, & Officiales omnes, ut in concionibus adsint, sæpe commoneant; ut, eorum exemplo, populus ad audiendum uerbum Dei promptior, & alacrior accedat.

De Parochis, ut ex Sancta Synodi Tridentinæ decretis plebibus sibi commissis uerbum Dei prædicent, eisq. sacra Mysteria, & Christianam doctrinam exponant.

ARchipresbyteri, Plebani, & Parochi, siue alij, qui Parochiales, & alias animarum curam habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, diebus saltem Dominicis, & festiuis, ac tempore ieiuniorum, per se ipsos, uel alios idoneos, ab Ordinarijs approbandos, aut deputandos, si ipsi legitime impediti fuerint, uerbum Dei, & sacram Doctrinam, diuinamq. legem annunciare plebibus suis, illasq. docere, & salutari uerbo pascere, teneantur, & debeant.

Inter Missarum sollemnia, prædictis diebus, ex eis, quæ leguntur in Missa, per se, uel per alios, aliquid frequenter exponant; & inter cetera sanctissimi Sacrificij mysterium declarent: Catechesim etiam de singulis Sacramentis præscriptam, & de his, quæ ad Fidei doctrinam, & morum correctionem pertinent, pro sui, ac populi capacitate, Italica lingua uersam, explanent; & plebes sibi commissas clarissimis uerbis erudire studeant.

Quæ omnia si forsan præstare neglexerint, specia-

liter moniti, per censuras Ecclesiasticas, aut alias, ut officium suum expleant, iuxta decreta memorati Generalis Concilij Tridentini, Diœcesani arbitrio compellantur.

De Blasphemis.

CVm plerique pœnarum grauitate magis, quam Dei timore, a criminibus committendis abstinere consueuerint, propterea in Blasphemos quam maxime (ut reatus qualitas exigit) diligenter, & seuere procedendum esse, atque eos pœnis in Bulla sanctæ me. Pij Papæ V. contentis afficiendos, & plectendos esse, præcipimus, & ordinamus.

Ac, ut huiusmodi atrox, & impium scelus, quod tam Diuinæ, quam humanæ leges detestantur, de medio penitus tollatur, Sodalitatem, seu Confraternitatem Nominis Dei in nostra Prouincia introducendam, & instituendam esse decernimus, quam per Episcopos in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus, præscriptis regulis, una cum Indulgentijs in Bulla fe. re. Pij Papæ IV. illi concessis, quam primum fieri poterit, publicari, & erigi mandamus.

De dierum festorum obseruatione.

CVm uero dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maxime pertineat, & Diuina

lege

lege præcipiatur, cupientes Dei præcepto obtemperare, & Sanctæ Ecclesiæ mandata seruare, uolentesq. Christi fideles, quantum cum Deo possumus, ab eorum transgresione compescere, nihil circa festorum dierum, de præcepto Ecclesiæ in sacris Canonibus obseruari institutorum, aut in Tribunalibus, & Iudicijs, præsertim sæcularibus, obseruationem, seu tempus feriarum iudicialium, immutantes, sed circa alios dies festos, qui ex deuotione populorum, uel alias, pro uaria huius Prouinciæ, ac eius Ciuitatum consuetudine, diuersimode obseruari consueuerunt, examinatis aliquibus, quæ consideratione digna uidebantur, ac humanarum necessitatum rationē aliquam habentes, illos quidem, de consilio, & assensu dominorum Coepiscoporum nostrorum, in pauciores dies contraximus, atque in Calendarium infrascriptum contulimus, & adscribendos esse curauimus, quos ab uniuersis, & singulis huius Prouinciæ Christi fidelibus, & in ea pro tempore commorantibus, pie, sancteq. coli, obseruari, ac celebres duci, & in eis ab omni seruilium operum genere abstinendum esse, statuimus, & declaramus, atque sancimus.

Sequitur Calendarium.

IANVARIVS.

1 Circumcisio Domini Nostri Iesu Christi.
6 Epiphania Domini.
17 Sancti Antonij Abbatis.

FEBRVARIVS.

2 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
24 Sancti Matthiæ Apostoli.

MARTIVS.

7 Sancti Thomæ de Aquino.
25 Annunciatio Beatæ Mariæ semper Virginis.

APRILIS.

25 Sancti Marci Euangelistæ, per horas Missarũ.

MAIVS.

1 Sanctorum Philippi, & Iacobi, Apostolorũ.
3 Inuentio Sanctæ Crucis.

IVNIVS.

24 Natiuitas Sancti Ioannis Baptistæ.
29 Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli.

IVLIVS.

25 Sancti Iacobi Apostoli.

AVGVSTVS.

6 Transfiguratio Saluatoris.
10 Sancti Laurentij Martyris.
15 Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.
25 Sancti Bartholomæi Apostoli.

SEPTEMBER.

8 Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis.
21 Sancti Matthæi Apoſtoli.
29 Dedicatio Baſilicæ S. Michaelis Archāgeli.

OCTOBER.

28 Sanctorum Simonis, & Iudæ, Apoſtolorum.
29 Sanctæ Anaſtaſiæ Virginis, & Martyris Patronæ, & titularis noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ.

NOVEMBER.

1 Omnium Sanctorum.
11 Sancti Martini, Epiſcopi, & Confeſſoris.
30 Sancti Andreæ Apoſtoli.

DECEMBER.

8 Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.
21 Sancti Thomæ Apoſtoli.
25 Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
26 Sancti Stephani Protomartyris.
27 Sancti Ioannis, Apoſtoli, & Euangeliſta.

Feſta mobilia.

Omnes Dominicæ totius anni.
Feria quinta in Cena Domini per horas Miſſarũ.
Paſcha Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, cum duobus diebus ſequentibus.
Aſcenſio eiuſdem Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
Pentecoſte, cum duobus diebus ſequentibus.
Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Dedicatio propriæ Ecclesiæ Ciuitatis, uel loci, saltem per horas Missarum.

Præterea dies festos Patronarum Ecclesiarũ Cathedralium, & alios, qui peculiari quadam deuotione, & laudabili, ac antiqua consuetudine nonnullis in locis huius Prouinciæ obseruari consueuerunt, sanctificandos, ac pie obseruandos Episcopi curent.

Vtq. Christi fideles, profanis, & illicitis negotiationibus plerumq. intenti, earum occasione, in huiusmodi festis diebus non amplius ab Ecclesiis distrahantur, sed eo potissimum tempore illas frequentare, concionibus, & diuinis officijs interesse possint, & ualeant, mercatus, & nundinas, quibus festorum dierum obseruatio impune passim uiolari solebat in animarũ perniciem, & Ecclesiasticæ disciplinæ contemptum, saltem quoad diuina officia in Ecclesia celebrantur, fieri, omnino prohibemus, & inposterũ prohibitas esse declaramus.

Ne uero ex præterita forsan tolerantia transgressores deinceps impunitatem sperare possint, curent Episcopi, ut præsentis Constitutionis authenticũ exemplũ prima Dominica huius, mensis publice in suis Ecclesiis inter Missarum sollemnia, alta, & intelligibili uoce populo denuntietur, legatur, & explicetur, & ad ipsius plenam notitiam deducatur, illudq. propositis

positis pœnis in Bulla a piæ memoriæ Pio Papa V. super hoc edita, atque alijs eorum arbitrio, iuxta festi qualitatem, imponendis, in loco patenti affixum conseruari mandent.

De reformatione Græcorum, eorumq. erroribus tollendis.

CVm, abrogatis omnibus priuilegijs, & exemptionibus, Græcis, seu eorum nationi concessis per litteras in forma Breuis fe. re. Pij Papæ IV. Græco ritu uiuentes, tam Clerici sæculares, quam Laici, Ordinariorum uisitationi, correctioni, iurisdictioni, & omnimodæ superioritati subijciantur, eorumq. cura Ordinarijs commissa fuerit, necessarium esse duximus, eos negligi non debere. propterea Episcopos, in quorum Diœcesibus Græci ipsi, uel etiam Albanenses appellati uersantur, & habitant, quantum in Domino possumus, commonemus, ut eosdem per se ipsos, uel alios idoneos deputandos, quam citius fieri poterit, uisitent, seu uisitari curent, & mandent, ut, quæ laudabilia in eis reperiuntur, seruentur, & promoueantur; quæ uero correctione digna sunt, iuxta prædictas litteras Pij Papæ IV. corrigantur, & emendentur. Si qua autẽ nobis aut Sanctæ Sedi Apostolicæ, pro eorũ grauitate, communicanda duxerint, id citius faciant.

Inter cetera diligenter exquirant, an aliqui ſint, qui a ueritate, & a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ unitate deuiantes, Spiritũ ſanctum a Patre tan tum procedere pertinaciter credant; &, ſi tales deprehendantur, in eos, tamquam contra hæreticos, ſeuere procedant.

Eos autem doceant, proceſsionem Spiritus ſancti eſſe a Patre, & Filio æternaliter, tamquam ab uno principio, & unica ſpiratione.

Ipſos quoque Purgatorij ueritatem, iuxta Ortho doxam Sanctorum Patrum doctrinam, & Catholicæ Eccleſiæ ueritatem, ac definitionem Sacrorum generalium Conciliorum Florentini, & Tridentini, aſsiduc doceant, atque a Parochis, alijſue eruditis, & pijs uiris, aut Verbi Dei Concionatoribus ſufficienter doceri ſtudeant.

Curent etiam, ut Summum Romanum Pontificem Vicarium Chriſti Saluatoris noſtri in Ter ris, & Beati Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem eſſe, teneant: alioquin in eos, tamquam hæreticos, procedant.

Vtq. Sacerdotes in eorum diuinis officijs, & ſanctis Miſsis loco ſolito pro eodem Summo Pon tifice Romano, & pro Epiſcopo, in cuius diœceſi commorantur, orare debeant; pro ſchiſmaticis autem Patriarchis, & Epiſcopis, etiam ſi eorũ ordinatores fuerint, minime id faciant.

Græcos

Græcos ipsos de Indulgentiarum ui, & in Catholica Ecclesia potestate, & usu erudiant, & pro ipsorum Ecclesiis illas impetrent, uel, quas auctoritate propria concedere possunt, largiantur.

Vtq. Ecclesiasticas censuras illi posthac timere assuescant, opportuna remedia, uel etiã poenae comminationem adhibeant, ut festiuitates a Sancta Romana Ecclesia praeceptas, & ab hac Synodo Prouinciali superius promulgatas, praeter illas, quas ex Graeco ritu, uel eorum deuotione obseruant, omnino obseruari faciant, & contra non obseruantes seuere animaduertant: ne, donec Latini illas sanctificant, Græci, easdem transgrediẽtes, cum scandalo seruilia opera facere conspiciantur.

Videant etiam, an ij, quibus animarum cura cõmissa fuerit, idonei sint, & an doctrinam Christianã Catholice populos, maxime paruulos, sedulo doceant; & in infirmorum confessione inuigilent.

Prouideant, ne eorũ Sacerdotes in Baptismi ministerio alio chrismate utantur, quam quod ab Episcopo benedictum fuerit, eosq. moneant, ut, cum Sacramenti Confirmationis, & Sanctorum Apostolorum, & perpetuo Ecclesiæ usu, & obseruantia solus Episcopus Ordinarius sit minister, nequaquam paruulos sacri

Chris-

Chrismatis oleo in fronte consignent, sed eos in uertice capitis tantum Baptismi tempore inungant. Tempus etiam Baptismi ultra octo dies non differant.

Omnes, tam Clericos, quam Laicos, quos Confirmationis sacramentum non suscepisse constat, in uisitatione ipsa, aut alio congruo tempore confirmandos curabunt: atque adultos quidem peccata sua Sacerdoti confessos esse ante oportet, & conuenit etiam esse ieiunos.

Pueris recenter natis, alijsq. rationis usu carentibus, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum dari prohibeant, & in eos, qui de necessitate salutis id fieri falso asserunt, tamquam de fide male sentientes, iuxta sæpe memorati Tridentini Concilij decretum, seuere animaduertant.

Sacerdotes sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro infirmis non ita, ut hactenus immun de conficiant, miscentes corpus cum sanguine, & iterum formando buccellam, sed illud sub panis specie cum debita reuerentia, decore, ac diligenti custodia, sub claue, & sera asseruent, ac saltem octauo quoque die renouent, &, cum opus fuerit, ad infirmos cum luminaribus, & sub umbella honorifice deferant.

Laicis non nisi peccata sua antea confessis sacram Communionem sub panis tantum specie exhibeant.

Insu-

Insuper, tam ipsi, quam Diaconi, Subdiaconi, ceteriq. Clerici, qui ad id tenentur iuxta eorũ Græcum ritum, a Sanctis Patribus institutum, & approbatum, diuinũ Officium singulis diebus recitare, seu decantare non prætermittant, sub pœnis per Canonicas sanctiones, in eos, qui horas Canonicas recitare neglexerint, impositis, & aliis in constitutione sanctæ me. Pij V. desuper edita contentis.

Dominicis, & festis diebus omnibus, sub pœna, Episcoporum arbitrio imponenda, confessione præuia, Missam celebrare procurent: Clerici uero, & in sacris ordinibus constituti, saltẽ semel in mense communicent.

Altaria portatilia, Episcoporum benedictione communita, & corporalia, & pallas mundas similiter benedictas habeant.

Sed, ne Latini, præsertim ij, qui simplices sunt, Græcis permisti, in eorum ritum inducantur, curent episcopi, ut Presbyteri Græci in suis tantum Ecclesiis celebrent, suo ritu utentes, in eisq. ipsorum plebibus tantum Græcis sacramentum altaris ministrent.

Constitutionem fe. re. Pij Papæ V. qua facultates alias concessæ Græcis Latino, & Latinis Græco ritu Missas, & alia diuina Officia celebrandi reuocantur, ab eisdem Græcis inuiolabiliter seruari mandent, & tam Græcos, quam

Lati-

Latinos in suis proprijs Ecclesijs, iuxta cuiusque morem, suo muneri satisfacere, condignis propositis poenis, præcipiant.

Mandent etiam, ut nullus sub pœna perpetuæ suspensionis, ab alio, quam a suo proprio Episcopo, uel, de licentia ipsius, a Catholico Antistite, Sanctę Romanæ Ecclesiæ gratiam, & communionem habente, Ecclesiasticos ordines suscipere audeat.

Matrimonia sancte (ut decet) sine aliqua superstitione, & abusu, & non inter coniunctas personas, & tribus in Ecclesia præcedentibus monitionibus, celebrari procurent. Vtq; ad pręmissorum integram obseruationem facilius compellantur, & ignorantiæ excusationem nullatenus prętendere possint, decreta sacri Concilij Tridentini de hac re Gręco idiomate fideliter uersa illis tradant: quę si postmodum obseruare neglexerint, iuxta sacros Canones, & eiusdem Concilij pręscriptum, aduersus contrafacientes seuere procedant.

Prouideant, ne Gręci secundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias reprehendant aliquatenus, nec condemnent, sed illas inter personas, quę alias licite ad inuicem matrimonio iungi possunt, initas approbare compellant: cum, secundum Apostolum, Mulier, mortuo uiro, soluta sit a lege uiri, & nubendi cui uult libe-

Rom. 7. a & 1. Cor. 7. g

ram

ram habeat facultatem.

Optat etiam ipsa Synodus, Græcos Presbyteros commonendos, atque cogendos fore, ut statim post feriam quintam in Cena Domini ad Episcopum, in cuius Diœcesi morantur, accedant, ad deuote suscipiendum sacrum Chrismatis oleum in uase decente: & uasculum habeant, saltem stanneum, in quo illud diligenter asseruetur.

Infirmos oleo infirmorum, quod Catholica Ecclesia, ex Christi Domini Nostri instituto, & Apostolica traditione, didicit, & Extremã unctionem proprie appellat, dum in exitu uitæ constitui uidentur, iuxta eorum ritum benedicto, inungant, ac etiam non petentes, præsertim cum periculose ægrotant, de eo suscipiendo admoneant, eisq. pie, & religiose conferãt.

Aquam etiam iuxta eorum ritum benedicant, eamq. in ingressu Ecclesiarum teneant.

Postremo curent Episcopi, ut a Græcis, qui in eorum Diœcesibus incolatum habent, quæ ab eis, uel ex eorum legitimo ritu, tam in Baptismi, & Confirmationis, quam in alijs Ecclesiæ Sacramentis rite administrãdis præcipiuntur, diligenter obseruentur, & in transgressores ipsorum arbitrio animaduertant, uel, si magis expedire iudicauerint, ex eorum Diœcesibus eijciant.

De Sacramentorum administratione.

ANtequam Sacramentalem actionem quis ministrandā suscipiat, diligenter tanti muneris functionem consideret, atque perpendat, & ad eam sancte, & grauiter accedat, superpellicium, & stolam habeat; ordini, & modo ministrandi Sacramenta nihil addat, aut minuat, sed iuxta ritus, caerimonias, & cōsuetudines Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, munus suū exsequatur.

In Sacramentorum administratione prohibeant Episcopi, ne quid exigatur, aut uerbis, uel signis directe, uel indirecte petatur; sed omnia pure, sincere, & sine auaritiæ suspicione fiant.

Cathedralium Ecclesiarum custodes, Sacristæ, alijque omnes, ad quos spectat, sacra olea parochis, & curatis, gratis erogent, siue dispertiant, nec quidquam omnino, quantumuis minimum, sub pœna suspensionis ab officio, pro eorum erogatione, seu dispertitione, petant, aut etiam a sponte dantibus recipiant, quauis consuetudine contraria non obstante.

De Baptismo.

FOntes Baptismales, ubi fieri potest, sint ex marmore, uel alio lapide, qui aquam continere, & seruare possit, cum ciborio py-

rami-

ramidato; uel ſaltem intrinſecus habeatur uas ex ære ſtanneato ad aquam tutius, ac nitidius conſeruandam. Vbi tamen præmiſſo modo hactenus erecti non fuerint; in loco Eccleſiã non impediente, ſed omnibus conſpicuo, quã citiſsime erigantur, & recte occluſi interius, exteriuſq. nitidius cuſtodiantur.

Parochi omnes, alijque, quibus Sacramentorum adminiſtratio incumbit, nec parentum nobilitate, nec aliqua alia ratione adducantur, ut extra caſum neceſsitatis in priuatis domibus Baptiſmi ſacramentum conferant. Quòd ſi ſecus facere attentauerint, Ordinarij arbitrio puniantur.

Excommunicati, & alij, qui a ſacris Canonibus arcentur, ad paruulos de ſacro fonte ſuſcipiendos nullatenus admittantur.

Obſtetrices omnes, ſeu alij Laici, commoneantur, ut, ſi mortis periculum infantibus immineat, eo caſu tantum illos baptizandi facultatem habere ſciant, ſeruata debita forma; cum diſtincta uerborum prolatione, & elementaris aquę infuſione, & cum intentione id faciendi, quod in huius Sacramenti collatione Sancta Catholica Eccleſia facere intendit. Præterea commoneſiant, mulierem, præſente uiro, ad munus baptizandí, etiam in caſu neceſsitatis, non eſſe admittendam, niſi forte is Baptiſ-

mi formam ignoret, & illa ad id peragendum magis instructa sit.

Parochi librum habeant, in quem tum baptizatorum, tum eorum parentum, tum etiam patrinorum nomina, & cognomina, diemq. natiuitatis, si commode fieri potest, & ipsius Baptismi, distincte referãt, illumq. custodiant diligenter, & singulis quoque annis Episcopo recognoscendum ostendant.

Cum baptismalis aqua in fontibus renouatur, ueterem in sacrarium proijciant.

Parochi denique sedulo hortentur, & frequenter commoneant prægnantes mulieres, ut, cum nonum mensem attigerint, uel tempus partus institerit, ipsis, uel alijs Sacerdotibus, ab Episcopo approbatis, peccata sua confiteantur, & Sanctissimam Eucharistiam sumant.

De Sacramento Confirmationis.

ANtequam Confirmationis Sacramentum ab Episcopis conferatur, Parochi, per se ipsos, uel per alios, illius uim, efficaciam, & effectus Christi fidelibus explicare, & explanare studeant, ut ad illud deuote, & reuerenter suscipiendum, qui natu maiores, & nondum chrismati sunt, accedant, uel infantes, & pueros pie, & religiose deferant.

Adulti, qui nondum confirmati sunt, ieiunio, & sacra-

ſacramentali peccatorum confeſsione, ac etiam ſacræ Euchariſtiæ ſuſceptione pręcedentibus, confirmentur.

Iis autem, de quibus probabiliter dubitatur, an a Pontifice confirmati ſint, poterit Sacramentum Confirmationis ſub condicione conferri, ſi nondum confirmati ſunt, prout & in Sacramento Baptiſmi fieri debet.

Eorum, qui confirmati fuerint, pro decentia Sacramenti, goſsipium, ſeu bambacium, & deſuper Chriſmale, ſeu linteolum lineum frontibus apponatur, & aliquantiſper deferatur, quod poſtea depoſitum comburatur in Sacrario, niſi ipſum linteolum ibi ablutum uſibus Eccleſiæ deſeruire poſsit, & ideo reſeruetur: uel ſaltem adultorum confirmatorum frontes bambacio abſtergantur, & deinde abluantur aqua, quæ, combuſto bambacio, in commune Sacrarium proijciatur.

Prouideant etiam Epiſcopi, ut confirmatorum, & patrinorum nomina, & cognomina, in libro, quē in Epiſcopali Archiuio conſeruandum curabunt, diſtinćte annotentur, & conſcribantur.

Plebes ſuas moneant, & per Parochos admoneri faciant, inter confirmantem, confirmatos, eorumq. parentes, & tenentem, quemadmodum ex Baptiſmi ſacramento, ſpirituale cognationē contrahi: eaſque, quod nō plures, quam unus, ſiue

siue uir, siue mulier, uel ad summum unus, & & una baptizatum, & confirmatum suscipere uel tenere possunt, & quam cognationem contraxerint, tam in Baptismo, quam in Confirmatione, ad ignorantiæ excusationem tollendam frequenter doceant, atque ex sacri generalis Concilij Tridentini decreto distincte declarent.

De Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento.

SAnctissimæ Eucharistiæ Sacramẽtum in Cathedralibus, alijsq. parochialibus Ecclesiis, in Tabernaculo, ubi commode fieri poterit, deaurato, decentissime ornato, ac nitido, collocetur, nihilque, quod ad illius cum claue, & sera tutam custodiam, conseruationemque, pertineat, modo aliquo prætermittatur: sit autem sericeo, aut alio decenti uelamine contectum: & Lampades in conspectu perpetuo ardeant.

Mandent Episcopi, ut Parochi, ceteriq. animarum curam habẽtes, publicos concubinarios, blasphemos, usurarios, uel alios facinorosos homines, nisi pænitentes, aut uita, aut moribus emendatos perspexerint, ad communionem non admittant.

Vtq. ijdem curent, ut pueri, qui communicare uoluerint, non alij admittantur, quam qui ea

ætate,

ætate, uel ingenio polleant, ut, quod faciunt, recte discernant.

Prouideant etiam, ut, si Ecclesiæ qualitas, & amplitudo patiatur, maribus seorsum a feminis Eucharistiæ Sacramentum ministretur.

Ad Christi fidelium deuotionem, & pietatem in dies promouendam, uolumus eos sæpius admoneri, ut non solum Paschæ tempore, iuxta generale Ecclesię præceptum, sed in alijs etiã pręcipuis anni sollemnitatibus, præmissa Sacramentali confessione, ad tanti Sacramenti perceptionẽ pie, & deuote accedant, ac, ut uberiores inde fructus, & gratias consequantur, illud sæpius frequentent.

Vt autem ipsi Christi fideles ad id exemplo etiã facilius inducantur, curent Episcopi, ut sui domestici, & familiares omnes, dictis, alijsq. Domini Nostri Iesu Christi, & Beatissimæ eius Genitricis semper Virginis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum festiuitatibus, uel etiam alijs Dominicis, & festis diebus, peccata eorum probatis Sacerdotibus confessi, sacram Eucharistiam frequenter sumant.

Cum ad infirmos tantum Sacramentum deferri contigerit, præmisso Campanæ signo ad conuocandos clericos, & confratres, aliósq. fideles, Sacerdos, ministraturus, cotta, stola, & pluuiali, uel saltem cotta, & stola indutus, duas

parti-

particulas in uaſe ad id dicato, ſiue in eleganti pyxide reponat, & decenter collocet, ac a collo ſuo pendens uelamen deſuper expandat, & tunc cum honeſto fidelium comitatu, qui cereos, & luminaria deferant, ab Eccleſia diſcedẽs, tintinnabulo pręcedente, ſub umbella, ſeu baldachino, ubi fieri poteſt, grauiter incedat, ac ſumma cum ueneratione, & pſalmis ipſum Sacramentum deferat ad infirmos: cumq. ad eorum domos peruenerit, ſeruatis ijs, quæ in huiuſmodi Sacramenti adminiſtratione in Sacerdotali, ſiue Rituali libro continentur, ægrotis ſacram Euchariſtiam religioſe exhibeat. Deinde eodem modo, quo prius, ad Eccleſiam reuertatur.

Vbi ſacratiſsimi corporis Chriſti Societas inſtituta non eſt, prouideant Epiſcopi, ut, quamprimum fieri poterit, inſtituatur: quod facile erit ex Cleri, & populi deuotione: ac ad id crebris concionatorum ſermonibus, & admonitionibus excitari poterunt. Vbi autem inſtitura fuerit, amplificetur, &, ſi reformatione indigeat, Epiſcopi arbitrio reformetur.

De Sanctiſsimæ Miſsæ Sacrificio.

SAcroſanctum Miſſæ ſacrificium non ſolum rite, & recte, ſed etiam pie, & deuote celebrari debet. quare, ut ſingulari pietate, & deuo-

deuotione erga illud populus afficiatur, studeant Episcopi, ut Sacerdotes om̃es mentis, & corporis puritate pollere nitantur, utq. ad tanti Sacrificij ministerium deuote accedant, & Missa prælecta, digne, pro sua, populiq. salute, preces effundant.

Omnes altaris ministros admonitos esse uolumus, ut cæremonias iuxta Missale Romanum sanctæ recor. Pij Papæ V. iussu editum diligẽgenter addiscant, & illas in Missarum celebratione, ut ubiq̃ omnibus huius prouinciæ locis uniformis sit celebrandi ratio, accurate seruẽt. Quod si, admoniti, facere neglexerint, ad altaris ministerium non admittantur, aut ab eo, quoad didicerint, arceantur.

Oratorij ædificationem, & usum, Episcopi non facile, sed cum eis iusta de causa concedi uisum fuerit, concedant. Prohibeant, ne quis, quemadmodum sacri Generalis Concilij Tridentini decreto statutum est, in priuatis domibus, aut alijs, quam ad diuinum cultum dedicatis oratorijs, atque ab ipsis designatis, & uisitatis, Missam celebrare præsumat.

Peregrini sacerdotes, aut ignoti, ad rem diuinam faciendam non admittantur, absque proprij Episcopi, siue Ordinarij, literis dimissorijs, quas (ad euitandas fraudes hac in re committi solitas, prout experimento comperimus) ab

Epiſcopis, aut eorum Vicarijs Generalibus, examinari, & probari mandamus. Quæ uero ita recentes non ſunt, ut uerisimiliter illis credi poſsit, reijciendas eſſe uolumus, niſi a locorum Ordinarijs, ubi proxime commorati fuerint, de eorum uita, & moribus fidele teſtimonium afferant.

Prouideant Epiſcopi, ut in Eccleſijs altaria quæcumq. diuino cultui dicata ornamenta habeãt non immunda, nec lacera, quod non ſine populi ſcandalo ſæpe conſpicitur, ſed illa pura ſint, munda, & decenter ornata, cum Cruce ſaltem lignea.

Altare portatile, ea longitudine, & latitudine, ſit, ut hoſtia, & calix dum ſuper eo celebratur, commode collocari, & retineri poſsint.

Curabunt etiam, ut abuſus ille, qui in nouæ (ut uocant) Miſſæ celebratione Presbyterorum auaritia irrepſit, iuxta Sacri Tridentini Concilij decretum, importunas, & illiberales petendi eleemosynarum exactiones, ludos, & choreas faciendi quamprimum tollatur, & ipſos Presbyteros ab ijs, quæ a ſimoniaca labe, & turpi quæſtu non longe abſunt, abſtinere faciant.

Fideles omnes ſedulo commoneantur, ut, cum Miſſæ ſacrificio interſunt, tanti myſterij grauitatem conſiderent, reuerenter aſsiſtant, & pie ac de-

ac deuote preces effundant, ad altare non ita prope accedāt, ut celebrāti impedimentū, uel perturbationem afferant, ne, dum ueneranda Missarum mysteria, & alia diuina officia celebrantur, collocutiones habeant, nec deambulationes faciant, neque in foribus Ecclesiæ, aut extra subistant, uel altaribus inhæreant, aut non exspectata Sacerdotis benedictione, ab Ecclesia discedant. Quę si obseruare neglexerint, Episcoporum arbitrio puniantur.

Ne defunctorū animæ debitis fraudentur suffragijs, curent Episcopi, ut, quæ ex imposito onere, uel munere Missæ celebrari debeant, omnino celebrentur. Vbi uero ex defunctorum relictis tam magnus Missarum numerus sit, ut illis, pro testatorum uoluntate, præscriptis diebus satisfieri nequeat, uel ex eleemosynæ tenuitate non facile inueniatur, qui uelit huiusmodi oneri se subijcere, Episcopi, Sacri Tridentini Concilij decreti memores, quo facultatem habent, in diœcesanis Synodis, re maturius considerata, & diligenter perspecta, Missarum numerum contrahant, & pro eorum conscientia taliter reducant, ut defunctorum animæ sacris Missarum sacrificijs, & anniuersariorum institutionibus non defraudentur, & Sacerdotes pro eorum dignitate commodius uiuere possint.

Ne Christi fideles a propriarum Parochialium Ecclesiarum cultu, & a diuinis audiendis, a proprio Parocho, a quo Christianæ fidei rudimenta, salutaria monita, explicationes sacrorum mysteriorum Missæ, festorum dierum & circa contrahendas nuptias denuntiationes audire debent, in posterum auertantur; statuimus, ut nullus Presbyter beneficiatus, uel Cappellanus cuiuscumque Cappellæ, Dominicis, alijsq festis diebus de præcepto, in Oratorijs Sodalitatum, seu Confraternitatum sæcularium, alijs ue Ecclesijs Cappellis, aut oratorijs sæcularibus, quæ Parochialis Ecclesiæ finibus continentur, Missas, & alia diuina officia; hora nimis præpropera celebrare, uel ad ea audienda populum conuocare audeat, nisi absoluta Missa, quæ in Parochiali Ecclesia præmissis diebus celebrari solet. Idemq. a Ruralibus Presbyteris, & Cappellanis aliquarum Ecclesiarum, non Parochialium, & Cappellarum, obseruandum esse decernimus, ita, ut Parochi, siue Archipresbyteri in diuinis officijs prædictis diebus ab ipsis nullatenus præueniantur.

Curent etiam Episcopi, ut Parochi, pro commissi muneris satisfactione, patresfamilias frequenter commoneant, ut a filijs, & famulis, qui in pascendis animalibus occupantur, sal-

tem

tem Dominicis & maioribus festis diebus Missam audiri procurent.
Viduæ, aliæque mulieres, quæ ex praua, & detestabili consuetudine post maritorum, siue coniunctorum mortem ad Ecclesias accedere nolunt, ne mense amplius ad summum ad eas accedere, & Missas audire differant, sub Ecclesiasticis censuris, uel aliter, prout Episcopis expedire uidebitur, compellantur.

De Sacramento Pænitentiæ.

CVrent Episcopi Constitutionem in generali Concilio a fe. re. Innocentio Papa iij. editam, quæ incipit, Omnis utriusque sexus, diligentius obseruari. Ac, ne Christi fideles, ignorantiæ prætextu, excusari possint, sed omnes sciant, ad Sacramentalem Confessionem proprio Sacerdoti, alijue ad audiendas Confessiones ab Episcopo approbato, saltem semel in anno, faciendam, Ecclesiæ præcepto teneri, eandem Constitutionem tribus diebus Dominicis in Quadragesima ante Pascha, in eorum Cathedralibus, ac in alijs eorum Ciuitatum, & diœcesum Parochialibus Ecclesiis, de pulpito, alta, & intelligibili uoce, lingua uulgari, & publicari faciant.
Insuper, Sacrosancti Tridentini Concilij decretum obseruari cupientes, neminem latere uolumus,

lumus, interdictum esse omnibus, & singulis Presbyteris, tam sęcularibus, quam cuiuscumque ordinis regularibus, in Prouincia exsistentibus, aut pro tempore commorantibus, (ijs, qui Parochialem Ecclesiam obtinent, dumtaxat exceptis) ne sæcularium etiam Sacerdotũ confessiones audire, uel eis absolutionem impendere præsumãt, nisi ab Episcopo loci ad id fuerint examinati, & approbati, etiam ex Constitutione sanctæ me. Pij Papę V. desuper edita, quam cunctis quorumuis ordinum regularibus, eorumq. Prælatis, aut superioribus, quomodolibet nuncupatis, ad omnem ignorantię excusationem tollendam, insinuari, & notificari mandamus.

Prohibemus etiam Parochis, ac aliis Confessariis sibi subiectis quibuscumque, ab Episcopis locorum ad fidelium audiendas cõfessiones approbatis, ut nihil pro absolutione, etiã a sponte dantibus, accipere, uel exigere, aut certam personam, cui dandum sit, nominare præsumant.

In priuatis domibus (casu necessitatis excepto) pænitentium confessiones audire nõ audeant, sed in locis patentibus, & conspicuis in Ecclesiis. Ac, ut suum officium commodius, & decentius præstare possint, mandamus, in singulis Cathedralibus, alijsq. Collegiatis, &

Paro-

Parochialibus Ecclesiis, etiam regularium, in locis huiusmodi patentibus, & conspicuis, Confessionalia lignea constitui, & decenter aptari, e quibus, crate ferrea, aut perforata lamina interposita, pœnitentium confessiones commode audire, & munus suum diligenter obire possint.

Cum confessarios Sacerdotes ne dum de animarum salute solicitos, sed etiam eorum, quæ in confessione audierint, fideles oporteat esse custodes, Episcopi in iis deligendis eam in posterum diligentiam adhibeant, ut tales sint, qui, uita, & moribus probati, doctrina quoque, prudentia, ac patientia polleant, & eius ætatis præsertim, qui mulierum confessiones audire debent, ut his libere peccata sua confiteri ualeant. ipsarum tamen confessiones ante ortum, uel post occasum Solis, nisi necessitas aliter postulet, non audiantur.

Quod si in aliquo præmissorum defecerint, eos, pro qualitate excessus, præter Canonicas pœnas, aliis diœcesani Episcopi arbitrio puniri decernimus.

De casuum reseruatione.

EPiscopi in reseruandis casibus ad id potissimum intendere debent, ut a peccatis, quæ maxime enormia sunt, & frequenter committi

pore fiunt, ad extremos usque Quadragesimę, uel hebdomadæ maioris dies differant, seu protrahant, quando nec facile, neq; commode audiri possunt.

Præterea, nomina eorum, qui præstituto tempore non communicauerint, post octauam Paschæ sibi fideliter deferri, uel transmitti præcipiant, descriptis etiam ijs, qui ex Confessarij consilio iusta de caussa sacram Communionē in aliud tempus produxerint. Contra eos autem, qui contumaces fuerint, seuere procedāt, & iuxta memoratam Constitutionem, Omnis utriusque, Ecclesiastico subijciant interdicto, uel alias resipiscere compellant, ut ad meliorem frugem conuersi, Sanctæ Ecclesiæ mandatis discant obtemperare.

Si quis uero extra Parochiam suam dicto tempore sacram Eucharistiam sumpserit, Parocho suo fidem deferat; sin minus, in eum agendum esse decernimus, ac si eo tempore non communicasset.

Constitutio obseruanda per Medicos.

EX carnali coniunctorum affectu, & medicorum incuria, a quibus infirmitatis discrimen ægrotantibus remissius quam debet, insinuatur, plerumque fit, ut ad eos raro, aut numquam Confessarij, alij ue animarum cura-

tores opportune aduocentur, & adſint: & ideo interdum cũ ipſis in extrema ægritudine conſtitutis a medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidunt, uel abſq. Eccleſiaſticis ſacramentis decedunt. Quare, huic malo occurrere, & animarum ſaluti in Domino, ſine quo uana eſt ſalus hominis, conſulere uolentes, ſingulis medicis Phyſicis, & Chirurgis, ſub pœnis in Conſtitutione fe. re. Pij Papæ V. contentis, diſtricté præcipiendo, mandamus, quatenus, cum ad infirmos eos uocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, ut intra triduum niſi morbi qualitas maiorem celeritatem poſcat, Confeſſarios, ſeu animarum medicos prędictos aduocent, eiſq. ſua peccata confiteantur, ac ſanctiſsimam Eucharistiam percipiant, & ſe ad omnem Domini uocationem parent, neq. tertio eos die uiſitent, ſi pręmiſſa non adimpleuerint, niſi in longius tempus Confeſſorem ex aliqua rationabili cauſſa diſtuliſſe conſtiterit. Vtq. Constitutio ipſa, qua altera in Generali Concilio ſub Innocẽtio Papa iij. deſuper edita, quæ incipit, Cum infirmitas, innouatur, omnibus innoteſcat, eam ſemel in menſe, tam in Cathedralibus Eccleſijs, quam in Parochialibus, publiçe, inter Miſſarum ſollemnia, legi, & publicari mandamus.

De Pænitentiario, in qualibet Cathedrali instituendo.

EPiſcopi, qui in ſuis Cathedralibus Eccleſiis Pænitentiarium, ex Sacri generalis Tridentini Concilij decreto hactenus non instituerunt, ubi id commode fieri poterit, quamprimum instituant, eidemque unione, uel applicatione Præbēdæ primo uacaturæ prouideāt.

De Ieiunijs.

CVm inter cętera pænitentiæ opera corporale ieiunium,& abſtinentia plurimum ualeant, Epiſcopi, & animarum paſtores, ouibus ſuis ſedulo commendent ieiunia, abſtinentiam, atque alia opera, quę ad carnem mortificandam conducunt.

Proinde uniuerſos Chriſti fideles noſtræ Prouinciæ cōmonitos eſſe uolumus, ut ſciant, ſe iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta teneri, & obſtrictos eſſe ieiunare ex Eccleſiæ pręcepto in Quadrageſima, Quattuor anni temporibus, necnon Vigilijs, ſeu alijs Ieiunij diebus ab Eccleſia inſtitutis, eisq. a Parochis id ſæpius inculcari, & ab omnibus obſeruari curent, exceptis ijs, quos, ualetudinis cauſſa, urgens neceſsitas, uel imbecilla ætas a ieiunij lege eximit. cuius rei

 iudi-

iudicium sit Episcopi, uel eius, quem suo muneri ipse præfecerit, qui utriusque medici fide, seu attestatione perspecta, discrete prouideat.

Mandamus insuper omnibus locorũ Ordinarijs, ut prædictis Ieiuniorum diebus carnes, & alios uetitos cibos publice uenales esse non permittant, sed in locis priuatis pro infirmis, & ijs dumtaxat, qui licentiam in scriptis obtinuerint, quam de utriusque medici consilio (ut supra dictum est) gratis impartiri uolumus. In locis autem, ubi corporalis medici copia haberi non potest, solius Parochi, seu Curati sufficit attestatio.

De Sacramento Ordinis.

SAcri Concilij Tridentini decreta eam diligentiæ rationem, quæ in Ordinibus quibuscumq. conferendis adhiberi debet, itam salubriter, & accurate complectuntur, ut nihil aliud prouidendum esse duxerimus, quam ut inuiolate seruentur.

Monemus autem Episcopos, & quod in hac re caput est, ab ipsis obseruandum uehementer optamus, ne inhabilibus, aut infamibus, aut ætatis, uel litterarum, uel natalium, aliúmue defectum patientibus, nec per sordes, uel simoniace (quod absit) Ordines conferant.

Archi-

Archidiaconus, si Cathedralis Ecclesia talem dignitatem habeat, sin minus, is, qui post Episcopalem proximam obtinet, quamcitius fieri poterit, librum conficiat, in quo Clericorum omnium nomina, qui in Ciuitate, & Dioecesi continentur, fideliter annotet, & quo quisque ordine, quoue tempore, & loco promotus, cuiue Ecclesiæ adscriptus fuerit, distincte describat. Is uero, qui posthac siue ab Episcopo, siue de ipsius licentia in Dioecesi, uel extra ad Clericalem militiam adscribetur, uel ad aliquem alium Ordinem promouebitur, intra mensem, a suscepti Ordinis die computandum, nomen suum in eundem librum referendum curet: quem diligenter ab ipso seruari, & singulis annis ab Episcopo recognosci mandamus.

De Seminario Clericorum.

CVpientes, ut ea, quæ a Sacrosancta Tridentina Synodo ad rectam institutionem Clericorum ordinata sunt, inuiolabiliter obseruentur, præcipimus, ut omnes Episcopi, qui tam pium, sanctum, & huic Prouinciæ maxime necessarium opus prætermiserũt, aut aliquo modo instituere distulerunt, statim a fine huius Prouincialis Synodi, iuxta formã eiusdem Tridentini Concilij decreto præscri-

ptam, instituendum curent. ubi autem, propter tenuitatem redituum Cathedralis Ecclesiæ, & aliorum beneficiorũ Ciuitatis, & Diœcesis commode institui nequiuerit, in Seminarium huius Metropolitanæ Ecclesiæ, seu in aliud in aliqua commodiori, & uiciniore comprouinciali Ecclesia institutum, Clericos pueros alendos, & instituendos mittant, & recipi curent, atque ei in expensis contribuant. tot autem mittant, quot pro rata pecuniarum, quę ab eorum Ecclesiis exigentur, consideratis sumptibus, uictui, & uestitui necessarijs, & libris emendis, ac magistrorum salarijs persoluendis, ipsis satis esse uidebuntur.

De Sacramento Matrimonij.

VT Sacrosancti Concilij Tridentini decreta, quibus in contrahendis, celebrandisq. matrimonijs certus modus, & forma pręscribitur, integre exsecutioni mandentur, prouideant Episcopi, ut illa communi Italica lingua uersa ab uno quoque Parocho, quamprimum fieri poterit, habeantur; &, ne eorum obseruatio ab hominum memoria facile labatur, singulis mensibus præsentis anni, & deinde quoties expedire uidebitur, iuxta nostræ Metropolitanæ Ecclesię morem, intra Missarum sollemnia euulgari, & publicari faciant.

Ac

Ac prætereà librum, in quo unusquisque Parochus, ex prædicti Concilij decreto, denuntiationes, & coniunctiones matrimoniorum, & coniunctorum nomina, & cognomina, quoue die, mense, & anno, ac quibus testibus præsentibus matrimonia ipsa contracta fuerint describere teneantur, statim recognoscant, &, an id obseruatum fuerit, diligenter exquirant.

Demum, quæcumque huius Sacramenti sanctitati, & honestati contraria uidebuntur, Episcopi, pro eorum prudentia, tollere, & penitus abolere non omittant: &, quos in gradibus a Iure prohibitis cõtraxisse repererint, ab inuicẽ omnino separent, & de personarum sic illicite coniunctarum qualitatibus, & an scienter, uel ignoranter, an ante, uel post Concilij Tridentini publicationẽ, & an præcedentibus denuntiationibus, & an prohibente Parocho, quaue ex caussa contraxerint, inquirãt, seu processus cõficiant; et si hæ uel separationi nõ acquiescãt, aut grauia exinde scandala facile oriri posse, si cum eis non dispensetur, probabiliter dubitetur, Sanctissimum D. N. Papam, & eius Sanctam Apostolicam Sedem, missa relatione, desuper consulant: ut, quid agendum sit, aut si cum eis Sanctitas sua despensandum duxerit, opportune prouideri posit.

De

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

SAcrorum Extremæ unctionis oleum in uase saltem stanneo, cum alijs sacrorum oleorum uasibus, sub claue, & sera diligenter seruetur, & custodiatur. Vasculum autem, quod cum huiusmodi oleo ad infirmos defertur, sit argenteum, uel etiam stanneum, & similiter cum gossipio mundo intrinsecus, & ab alijs sacris oleis distinctum, in tuto, & honesto loco asseruetur. Illud quidem, quoties deferri oportuerit, in bursa serica honorifice deferatur.

Atque in eo ministrando ritus, preces, & orationes illas, quæ in Ordine Romano, Sacerdotali, alijsque Ritualibus Sacramentorum libris habentur, adhibendas, & infirmos, dum adhuc quid agant intelligunt, & sensu, quantum fieri potest, integro exsistunt, pie, & religiose inungendos esse, præcipimus.

Admonendi sunt Parochi, ut circa decumbentes infirmos, & morti proximos, quibus tunc grauissimum cum humani generis hoste certamen instat, exactissime pietatis munus exsequantur, &, postquam infirmos Extremæ Vnctionis oleo inunxerint, sæpe inuisant, uel apud ipsos permaneant, consolentur, & ad cælestis beatitudinis cogitationem erigant, ac forti animo sint, & mortis metum abijciant, & ad æter-

nam gloriam se uocatos esse cognoscant, diligenter hortentur.

Volumus insuper, ut Episcopi, omnes, & singulos, suæ curæ commissos, commoneant, & a Parochis sæpe commoneri faciant, illisq. mandent, ne grauiter ægrotantes, uel morientes, aut in mortis articulo constitutos uanis, ac sæcularibus sermonibus, aut commemorationibus, seu luctibus importunis perturbent, aut commoueant, cum satis superque sit, quod per se humani generis inimicus, & insidiator diabolus tunc molitur. callidissimus enim serpens nullo umquam tempore Christi fideles grauius oppugnare solet, quam cum ex hac uita migrandum est. Quare a descendentibus, seu morituris suggestiones, uel periculosa ten tamenta huiusmodi sunt amouenda, atq. aduersus illa potius assiduæ, & feruentes orationes fiant, ac pia alia suffragia, & adiumenta ferantur.

De Sepulturis.

OMnibus, & singulis Clericis, qui ad funera les exsequias euocati fuerint, districte præcipiendo, mandamus, ut tam in processionibus, quam in pompa funerum, bini, super pelliceis, siue cottis induti, ordinate, & composito corporis habitu procedant, & præ-

euntem Crucem ſequantur, & comitentur, & eo, quo uenerunt, ordine redeant.

Habeant Parochi librum, in quo omnium in ſuis Parochijs commorantium nomina, & cognomina diſtincte deſcribant, & in cuius margine, quo die quis obierit, notent.

De Funerum exactione cohibenda.

CLamoroſa illa multorum querela, quæ in Synodo propoſita eſt contra nonnullos, qui, pietatis immemores, debitę exactionis prætextu, mortuorũ corpora ſepelire differunt, opportuna indiget prouiſione. Quare, cupientes, ut tenemur, omnibus paterna caritate conſulere, præcipimus omnibus, & ſingulis Capitulorum, Parochialium, & Collegiatarum Eccleſiarũ Procuratoribus, Rectoribus, Parochis, & Curatis, ut ab illicitis exactionibus, & ab omni ſpecie mali, omnino abſtineant, & ſe non turpis quæſtus cupidos, nec auaros exactores præſeferant, ſed potius ſe in omnibus, quæ Ieſu Chriſti, non quæ ſua ſunt, quærere bonis operibus manifeſte comprobent; ac proinde defunctorum corpora Chriſtiana pietate, ad Eccleſias, ſiue cœmeteria deferre, & religioſe ſepelire non differant.

De

De defunctis immoderate non lugendis, & de mulieribus etiam coniunctis ululantibus, & eiulantibus cum clamore, ab officio exsequiarum arcendis, nisi quieuerint.

SVperstitiosum in lugendis mortuis abusum, qui in Prouincia nostra iamdiu Diabolica fraude irrepsit, & sæpe uetitus, penitus tolli non potuit, abolere uolentes, præcipimus in uirtute sanctæ obedientiæ, ne qua mulierum præficarum, quas repetitrices appellant, huiusmodi officium inuitandis, seu excitandis alijs ad luctum, & eiulatum in consanguineorum, cognatorumq. funeribus exercere præsumat; sed hoc nomine, & usu a Christi Domini nostri grege eliminato, ita posthac moderate lugeant, ut Christianas feminas decet, sacra dictante Scriptura: Super mortuum modicum plora: & Apostolo admonente, Nolumus autem uos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent.

Cum uero ad Ecclesiam funus effertur, prohibemus; ne mulieres, quæ Ecclesias luctibus, & ululatibus complere solent, eiam suorum defunctorum corpora sequantur, uel exsequiarum officijs intersint, sed domi se contineant.

Quod si, Parocho admonente, neglexerint; Presbyteri omnes cum pompa funebri ultra non progrediantur, uel de Ecclesia, si iam ad eam peruenerint, ibi relicto funere exeant, nisi statim ipsæ paruerint, redeundo, uel quiescendo. non enim decet domum Dei omnipotentis, quæ domus orationis est, & in conspectu tantæ eius Maiestatis, importunis huiusmodi eiulatibus, & clamoribus impleri.

De funere Episcopi Comprouincialis.

Pium sanctorum Patrum institutum, iam diu intermissum, in usum debitum, quantum in nobis est, reuocantes, statuimus, & mandamus, ut, cum primum Episcopum ex hoc sæculo migrare contigerit, Capitulū Cathedralis Ecclesiæ de sui Pastoris obitu admoneat Archiepiscopum, & alios Comprouinciales Episcopos, ut, de eo certiores facti, illius animæ sacris precibus, & Missarum sacrificijs, alijsq; pijs operibus suffragari possint, ac etiā accedere, uel mittere ad eius exsequias celebrandas: quibus saltem uicinior Episcopus interesse debeat.

Anniuersarium exsequiarū officium mortui Episcopi singulis annis in Cathedrali Ecclesia, quamdiu proximus eius successor in Episcopatu uixerit, faciendum esse præcipimus. Id ipsum

sum in omnibus similiter Ecclesiis Rectorum, & beneficiatorum defunctorum uiuentis sumptibus obseruari, cupimus.

Eiusdem Capituli onus erit, ut, iuxta Sacri Concilij Tridentini decretum, supplicationes, & preces publicę, priuatimq. habeantur, & per Ciuitatem, & Diœcesim indicantur, & celebrentur, ut Clerus, ac populus bonum a Deo pastorem ualeant impetrare.

De Inuentario processuum causarum, & negotiorum quorumcumque, ab Episcopo conficiendo.

CVm in Prouincia nostra sanctę re. Pij Papę V. constitutioni, seu pręcepto de conficiendis Inuentarijs per Episcopos Regni Neapolitani, & Siciliæ hactenus satisfactum non sit, ne tam utile, tamq. necessarium institutum per incuriam omittatur, Episcopos omnes commonemus, ut quilibet Inuentarium authenticum omnium, & quarumcumque suæ curæ querelarum, accusationum, inquisitionū, denuntiationum, ceterorumq. actorum, causarum, negotiorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud Curiæ suæ Notarium, siue actuarium fuerint, quamprimum conficiendū curet, & iuxta memoratum pręceptum, conficiat, & confectum, & dicti notarij manu subscri-

ſcriptum, penes ſe cuſtodiat, donec ſuper his iudicatum fuerit: et, ſi eum interim de uita decedere contigerit, illud uniuerſum, ſuo ſigillo obſignatum, fidei Sacerdotis, cui ſua peccata confitetur, morte impendente, committat, tuto tamen, & fideliter aſſeruandum, ac futuro Præſuli clauſum, integrumq; tradendum, & alias, prout in eadē Conſtitutione cōtinetur.

De piorum legatorum, & ultimarum uoluntatum exſecutione.

CVm ij, qui in defunctos debitam pietatem non exercent, inhumani admodum cenſeantur, inhumaniores quippe exiſtimandi ſunt, qui, illorum animas propemodum necantes, non ſatisfaciunt legatis, quæ pro animarum ſuarum expiatione pie, & fideliter reliquerunt. Quare eos omnes in uiſceribus Domini Noſtri Ieſu Chriſti requirimus, & monemus, ut, ne in animarum ſuarum diſpendium incurrant, quamprimum defunctorum uoluntates impleant, eiſq; omnino ſatisfacere curēt. Ne uero Epiſcopi interim ſuo muneri deſint, mandent omnibus notarijs, & tabellionibus, tam in Ciuitatibus, quam in ipſorum Diœceſis oppidis, & Terris, degentibus, ſub pœna excommunicationis, ut intra menſem notam ad ipſos deferant omnium legatorum, ad cauſ-

ſas

ſas pias relictorum.

Quod ſi heres, uel ultimarum uoluntatum exſecutor, intra debitum tempus, uel a teſtatore præſcriptum pijs teſtatoris diſpoſitionibus, ſeu uoluntati ſatisfacere prętermittant, illas Epiſcopus (niſi uere eas præſtari, & impleri non potuiſſe legitime conſtiterit) etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis integre expleri curabit.

De Eccleſiis, & earum cultu.

Eccleſias omnes, Cappellas, Oratoria, Sacella, ac quæuis pia, & religioſa loca reparari, & inſtaurari, atque pro redituum qualitate conſeruari, mandamus. Diruta tamen ad eam rationem, quæ a Tridentina Synodo præſcripta eſt, reſtitui, uel alio transferri, prout expedire uidebitur, Epiſcopi curent.

Prouideant inſuper, ut Cappellis, Altaribus, Pretorijs quibuſcumque, quæ in Eccleſiis dotata reperiuntur, onera, ex fundatione, uel antiqua inſtitutione iniuncta, & conſtituta, integre perſoluantur, idq. per fructuum ſequeſtrationem, aut alijs iuris remedijs opportunis omnino procurent.

Altaria, & Cappellas, quæ ſine dote ſunt, aut parum ornata conſpiciuntur, ſi fundatores illa dotare, inſtituere, uel ornare nequiuerint,

uel alteri concedantur, uel, si ex eis Ecclesiæ aspectus deformetur, Episcopi arbitrio diruendum.

In Ecclesiis ipsis de rebus profanis, aut de ijs, quæ ad Ecclesiam non pertinent, sermones, circulos, conuentus, congregationes, sæculares actiones, aut quæ publica consilia, seu parlamenta dicuntur, haberi nullo modo permittant, neque de quibusuis alijs negotijs agi, uel tractari, præsertim cum Diuina celebrantur Officia, uel Verbum Dei prædicatur; neq. præterea uana colloquia misceri, strepitus, aut clamores, aut quidquam aliud, quod indecentiam, aut perturbationem afferat, fieri, aut etiam quempiam in eis irreuerenter uersari, iuxta generalis Concilij Tridentini decretum, & sanctæ me. Pij Papæ V. atque alias sacras Constitutiones, patiantur.

Cum non liceat altaria, in quibus sacra mysteria celebranda sunt, nisi benedictis linteaminibus, seu tobaleis, cooperire, & ornare, nec deceat, ut, quæ ipsi Domino in eisdem mysterijs deseruierunt, ad priuatos hominum usus amplius transferantur, interdicimus Sacerdotibus, & Clericis omnibus, tam sæcularibus, quam Regularibus, ne linteaminibus huiusmodi non benedictis, etiam auro, uel argento elaboratis, seu serico depictis, altaria posthac cooperire,

uel

uel ornare præsumant. Similiter etiam prohibemus eisdem, ne, sub graui pœna, sacra linteamina, uelamina, & alia ornamenta, seu paramenta, & sacra uasa Ecclesiarum, Deo consecrata, siue benedicta, ad profanos, aut priuatos usus quomodolibet conuertere audeant, uel accommodare.

De Ecclesiæ libertate, & immunitate seruanda.

Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem ab omnibus integram conseruari, & custodiri, mandamus, propositis censuris, & pœnis a Iure statutis, ac in decretis Sacri Concilij Tridentini, atque diuersis Constitutionibus, & litteris Apostolicis etiam die Cenæ Domini quotannis legi consuetis, contentis, contra omnes, qui eam lædere, aut quoquomodo uiolare præsumpserint.

Nulli Laicorum liceat domus in posterum ædificare, quæ Ecclesiarum parietes ulla ex parte attingere possint, ut earum circuitus, & ambitus semper liber remaneat: nunc autem, si qua sunt, quæ Ecclesijs ipsis adhæreant, & Episcopi iudicio tolerari nō posse uidebuntur, statim dirui, & amoueri, mandamus.

Prohibeant Episcopi, ne mercatus, & nundinæ, aliaue huiusmodi, intra Ecclesiarum porticus exerceantur, nihilq. earum foribus, seu por-

tis, aut muris affigi, aut quod preter dignitatem, & decorum exsistat fieri sustineant.

Ecclesiarum ędes, quę pro Rectorum, & Ministrorum usu, necessitate, & commodo constructę sunt, ad frumenta, legumina, & his similia locari, aut alicui commodari omnino prohibemus.

De Inuentario bonorum Ecclesiasticorum conficiendo.

NE Ecclesiarum bona futuris temporibus occupantium cupiditati facile exponantur, statuimus, & districte mandamus omnibus Episcopis, Archidiaconis, Diaconis, Canonicis, & Capitulis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, ac similiter Rectoribus, Cappellanis, seu Curatis parochialium, & aliarum Ecclesiarum, ac quauis Ecclesiastica beneficia obtinentibus, necnon Hospitaliũ, Confraternitatum, & quorumlibet piorum locorum Administratoribus, ut infra sex menses, ab huius Synodi publicatione numerandos, omnium, & singulorum bonorum, mobilium, & immobilium, iurium, iurisdictionum, pertinentiarum, actionum, censuum, redditũum, ac nominum debitorum ad eorũ respectiue Ecclesias Cathedrales, & Collegiatas, & illarum mensas Capitulares, atque Parochia-

rochiales, & alias quasuis Ecclesias seu beneficia Ecclesiastica, Hospitalia, Confraternitates; & pia loca quæcumque quomodolibet spectantium & pertinentium per publicũ Notarium coram testibus fide dignis, ac alijs honestis personis, quæ illa nouerint, plenum Inuentarium, seu Catastum, aut, ut uocant, plateas conficiant, seu conscribi, & confici curent, cum eorum omnium quantitatibus, qualitatibus, limitibus, & confinibus, nominatim in ipso fideliter adnotandis, in quo pariter, uel etiam in alio seorsum conficiendo Inuentario, describantur omnium ipsarum Ecclesiarum, mensarum, beneficiorum Ecclesiasticorum, & piorum locorum prædictorum, quæ extant, fundationes, priuilegia, indulta, concessiones, donationes, uniones, applicationes, Bullæ, & litteræ Apostolicę, instrumenta, scripturæ, atque alia documenta quæcumque.

Mensæ Archiepiscopalis Innentarium, siue Catastum, quamprimum fieri uolumus: mandantes, ut ex eo tria publica, seu authentica conficiantur instrumenta: quorum primum in Archiepiscopali Archiuio custodiatur, secundum penes Capitulum remaneat, tertium uero ad antiquiorem Episcopum conseruandum transmittatur.

Episcopus Inuentarij mensę Episcopalis tria

ſimiliter publica, ſeu authentica inſtrumenta confici curet, quorum unum in ſuæ Cathedralis Eccleſiæ Archiuio reponat, aliud ſuo Capitulo aſſeruãdum tradat, tertium uero ad Metropolitanum in eius Archiuio cuſtodiendum tranſmittere teneatur.

Inuentarij menſæ Capitularis duo, ſimiliter authentica fiant inſtrumenta, quorum alterum in Archiuio Capitulari, alterum uero in Archiuio Epiſcopali aſſeruetur.

Rectores autem Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, ac reliqui beneficiati quicumque, atque Hoſpitalium, & Confraternitatum, & aliorum piorum locorum adminiſtratores, ſimiliter habeant, ſeu fieri faciant duo publica, ſeu authentica inſtrumenta, quorum alterum in Eccleſia, uel in loco beneficij Hoſpitalis, Confraternitatis, & loci pij conſeruari mandamus, alterum uero in Archiuio Epiſcopali.

Epiſcopi in uiſitatione, quam ſingulis annis ex ſacris Canonibus, & Sacri Concilij Tridentini decreto facere tenentur, cuiuſcumque Eccleſiæ Parochialis, etiam Collegiatæ, & quorumcumq. beneficiorũ Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura, ac Hoſpitalium, Sodalitatum, & aliorum piorum locorum, Inuentarium pręmanibus habeant, & diligenter inſpiciant, an ea, quæ in eo annotata, & deſcripta fuerunt,

integra habeantur, siue permaneant, & si quid alienatum, uel deperditum esse compererint, in negligentem, uel minus fidelem per suspensionem a perceptione fructuum, uel alias censuras, & pœnas, suo arbitrio imponendas, grauiter animaduertant.

Huiusmodi Inuentarium tertio quoque anno, & quoties in Ecclesia, beneficioue, aut pio loco nouus successor extiterit, renouari; & premisso modo asseruari, præcipimus, & mandamus.

De Archiuio.

NE deinceps Ecclesiarum iura, ob temporum, uel hominum iniuriam (ut dictum est) supprimantur, uel quoquomodo depereant; uolumus, ut in singulis Cathedralibus, alijsq. insignibus Ecclesijs, in quibus Archiuia hactenus instituta non sunt, illa per Episcopos, & eorum Capitula separatim instituantur, in quibus fundationes, priuilegia, indulta, instrumenta, aliasq. scripturas, & monumenta omnia cuiuscumq. generis cum illorum Inuentarij publico instrumento, ut supra dictum est, sub probatæ fidei custode diligenter asseruari, & integre custodiri mandamus.

De locationibus bonorum Ecclesiasticorum.

SAcrosancti Generalis Concilij Tridentini decretum esse qui uolentes, deputamus Vicarium in spiritualibus generalem nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ pro tempore existentē, qui Ecclesiasticorum bonorum locationes, etiā Apostolica auctoritate confirmatas, a triginta annis citra ad longum tempus, seu ad uiginti nouem, seu bis uiginti nouem annos factas, in damnum Ecclesiæ, & contra Canonicas sanctiones contractas fuisse examinare, & iudicare ualeat.

Locationes eorundem Ecclesiasticorum bonorū, nisi Apostolica auctoritas intercesserit, ultra triennium, iuxta Constitutionem fe. re. Pauli Papę II. Ambitiosæ, fieri prohibemus: sed, si aliter factas fuisse compertum fuerit, illas inualidas, nullas, irritas, & inanes, nulliusq; roboris, uel momenti fuisse, & esse declaramus.

Episcopi uero bona Ecclesię immobilia nullo modo distrahi, uendi, & quouis quæsito colore alienari, nec etiam propinquis in emphytheusim ad cuiusuis temporis spatium, nisi pro Ecclesiæ commodo, & sollemnitatibus iuris seruatis, id fieri expedierit, locari, uel concedi permittant. Transgressores autem non solum in censuras, & pœnas, in prædicta constitutio-

tutione Pauli Papæ II. contentas incurrisse declarentur, utrumque etiam eos ipsis Ecclesiasticis beneficiis, quorum bona alienauerint, uel prædicto modo locauerint, aut in emphyteusim concesserint, priuentur, & alias eorum arbitrio puniantur.

De bonorum Ecclesiasticorum occupatoribus.

AD nostri etiam Pastoralis officij curam spectat, ut in reparandis, instaurandisq; Ecclesiis collapsis, & solo fere æquatis, ac in recipiendis bonis, & conseruandis iuribus, iurisdictionibusq; earum sollicite uigilemus, & attente laboremus. Quare, cum iam in hac nostra Synodo pro eis dirutis, instaurandisq; decreuerimus, quid agendum sit, præsenti etiam Constitutione monemus omnes, & singulos prædictorum bonorum, & iurium, ac Iurisdictionum Ecclesiasticorum usurpatores, occupatores, & illicitos detentores, ne suarum animarum iacturam faciant, sed potius suæ saluti fideliter consulant, ac ut meminerint grauissimarum censurarum, quibus ipsi a sacris Canonibus, & generalis Concilij Tridentini decretis, & litteris Apostolicis, die Cenæ Domini legi consuetis, percelluntur, & in eas damnabiliter incurrisse declarantur, ac quod excommunicati, & anathematizati sacramento-

rum participatione, atque communione fidelium priuati existunt, quodque absolui non poterunt nisi a Sanctissimo Romano Pontifice, si tandem aliquando resipiscant, & quæ illicite detinent, occupata restituant.

De Iurepatronatus.

Episcopi in beneficijs omnibus Ecclesiasticis, quæ de Iurepatronatus esse prætenduntur, saltem eorum uacationis tempore maximam curam adhibeant, & diligenter recognoscant, an uere sint eiusmodi, nec in posterum, nisi beneficium, iuxta Sacri Tridentini Concilij decreta, uere Iurispatronatus esse constiterit, præsentationem admittant. Sicut enim iniquum est, liberum beneficium in seruitutem redigi, ita, fundatorem ipsius suo iure fraudari, permitti non debet.

Beneficiorum Ecclesiasticorum patroni, cuiuscumque condicionis, gradus, & dignitatis, siue Laici, siue Clerici fuerint, etiamsi Communitates, Vniuersitates, Collegia quæcumque in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quarumcumque, etiamsi uere de Iurepatronatus ipsorum ex fundatione, uel dotatione essent, nullatenus, nullaue de causa propria auctoritate se ingerant, sed illos sub pœnis decreto Concilij Tridentini constitutis ad liberam

beram Rectoris, & Beneficiati dispositionem, & distributionem dimittant.

Volumus autem, ut præsentati à quibusuis personis, etiam Ecclesiasticis, antequam ab Episcopo instituantur, sub hac forma iurent: quam, ut recte intelligatur, exhiberi prius, & ab illis prouideri mandamus.

Forma Iuramenti.

EGo N. præsentatus ad N. Ecclesiam, uel N. beneficium, iuro ad hæc Sancta Dei Euangelia, per me corporaliter tacta, quod pro præsentatione ad prædictam Ecclesiam, uel ad prædictum beneficium obtinendũ, neq. ego, neq. alia persona uice, & nomine meo, nec de consensu, aut scientia mea, patrono, seu patronis, aut cuiuis alteri eorum nomine, aut intuitu aliquid dedi, aut promisi, nec quidquam eius rei gratia inuicem permutauimus, compensauimus, aut antea datum confirmauimus, aut apud quemquam deposuimus, donauimus, mutuauimus, commodauimus, seu elocauimus; aut prius depositum, donatum, mutuatum, commodatum, aut elocatum, aut quocumq. modo debitum remisimus, seu relaxauimus; nec de sanctuario, glerba, domibus, terris, prædiis, tenimentis, redditibus prædictæ Ecclesiæ, uel beneficij fru-

ctibus, decimis, uel oblationibus eiusdem præteritis, præsentibus, aut futuris donationem, remissionem, uel locationem promisimus, fecimus, aut pacti sumus, neque aliquis de mandato, scientia, aut consensu meo quidpiam eorum promisit, fecit, aut pactus est. Ita me Deus adiuuet, & hęc Sancta Dei Euangelia.

De Residentia.

CVm Ecclesiarum utilitati, & saluti nihil magis expediat, quam Pastorum in eis residentia, & curæ administratio per se ipsos, non immerito Sacra generalis Synodus Tridentina opportune prouidere uolens, tam in sess. sexta de reformatione sub fe. re. Paulo Papa III. quam in uigesima tertia de reformatione sub Pio Papa IIII. Pontificibus Maximis, saluberrima decreta de residentia promulgauit. Et in hoc ipso postremo, cupiens, quæ adeo ex pastorum munere, animarumq. salute sunt, frequenter omnium auribus, mentibusq. infigi, præcepit, tam decretum sub Paulo III. quam alterum sub Pio IIII. in Concilijs prouincialibus, & Episcopalibus publicari, ut in posterum, Deo iuuante, nulla temporum iniuria, aut hominum obliuione, aut desuetudine aboleantur. Idcirco eiusdem Sanctæ Synodi mandatis parere uolentes utrumq.

de Residentia decretum in præsenti nostra Synodo Prouinciali legi, & publicari iubemus, prout lectum, & publicatum est.

Proinde hortamur Episcopos nostros, eosque, quantum in Domino possumus, rogamus, & obtestamur, ut iuxta prælecta Sacræ Synodi Tridentinæ decreta, pro iniuncto munere resideant, & omni cura, & solicitudine, uerbo, opere, & exemplo, ac asidua præsentia suum ministerium impleant, sciantque, minime sibi licere, non seruata prædictæ generalis Synodi forma, a suis Ecclesijs abesse: quod si id quoquomodo omiserint, aut facere neglexerint, nouerint, præter mortalis peccati reatum, in quem incurrunt, fructus pro rata temporis absentiæ suos non facere: quorum partem in suarum Ecclesiarum reparationem; partem uero in pauperes suæ Ciuitatis, & Diœcesis præsenti Constitutione erogamus, & asignamus, illosq. per eos tuta conscientia retineri non posse, declaramus, præter pœnas propositas in litteris, seu Bullis fe. re. Pij IIII & Pij V. summorum Romanorũ Pontificum desuper editis.

De Residentia Inferiorum.

EPiscopi moneant omnes, & singulos curatos, & alios quoscunque, etiam exemptos, qui beneficium aliquod curam animarũ ha-

bentis obtinent, necnon quosuis alios beneficia Ecclesiastica de iure, seu consuetudine personalem residentiam exigentia in titulum, siue Commendam habentes, ut personaliter resideant, & suo muneri satisfaciant: qui si, moniti, parere neglexerint, seuere puniantur.

De Episcoporum dignitate, & uita.

HOrtamur Episcopos, & in Domino monemus, ut tam in Ecclesia, quam foris, & tam in publicis, quam in priuatis actionibus suum gradum, & ordinem seruantes, se patres, & pastores esse ostendant, ac in reliquo uitę genere ita se habeant, ut decet sanctos, & Apostolicos uiros, ac Euangelicę & Apostolicę disciplinæ, sacrorumq. Conciliorum institutis, & Tridentinæ Synodi decretis in primis respondeant; ut merito ex eorum uita, & exemplo subditi in Domino plurimum ædificentur, atque proficiant.

Missam publice celebrent, & diuinis sæpius intersint: quod ualde populos ædificat, & ad religionem excitat.

Nominis, & officij sui memores esse non desinant, & eam, quæ Episcopos decet, morum grauitatem præseferant.

In ijs, quæ ad priuatum usum pertinent, eam moderationem adhibeant, ut omnem operam ad

Eccle-

Ecclesię cultum, & ornamentum, & ad pau-
perum indigentiam subleuandam conferre ui-
deantur.

Modesta supellectili, ac frugali uita contenti sint,
ut quisque eorum animũ a luxu, omniq. inanis
splendoris apparatu alienum esse cognoscat.

Super indumento lineo, seu tunica, quam Roc-
chettum appellant, & almutia cum mantello,
uel sine, in Ecclesia, alijsq. publicis locis assi-
due utantur. In diuinis autem officijs, alijsq.
publicis actionibus in Ecclesia cappam, uel pa-
ramenta, ut tempus, aut sollemnitas postulat,
deferant. Ceterum non profano, aut indecen-
ti uestitu, sed fidei, & uitæ meritis dignitatis
auctoritatem sibi quærere studeant.

In Uasis argenteis, ceterisq. domus instrumentis,
Episcopalem modestiam ostendant, & se ina-
nium rerum contemptores esse testentur.

Episcoporum mensa non nimis lauta, aut sum-
ptuosa sit, sed sobria, & frugalis, ac modera-
tione, & temperantia laudabilis instituatur, &
sacræ Scripturę, aut spiritualis alicuius lectio-
nis pabulo condiatur, quam & benedictio prę-
cedat, & gratiarum actio subsequatur.

Familiares numero, ætate, & qualitate eos ha-
beant, quos pro ipsorum cuiusq. dignitate con
gruere uidebuntur, qui nõ corporis ornatu, sed
religione potissimũ, ac pietate conspicui sint.

Episcopi, in gubernandis, & corrigendis subditis, pro personarum ætate, sexu, diuersitate, & qualitate, ac pro loco, & tempore, & modo culparum, prudenter se habeant, & sanctorum Patrum instituta sequantur.

In procedendo, iudicando, & puniendo, nec nimium rigorosi, uel seueri sint, nec segnes, aut remissi, sed in delinquentibus coercendis, iuxta sacrorum Canonum, & Sacri generalis Tridentini Concilij decreta, cum benignitate, uel seueritate, pro personarum, & casuum qualitate, procedant.

De iudiciali foro Episcopi.

EPiscopi, in causis, quæ in suo iudiciali foro in posterum pertractari contigerit, æqua lance iustitiam omnibus ministrari studeant; ac, ut litigantium sumptibus, quoad fieri potest, parcere, & notariorum, atq; ministrorum quorumcumque extorsionibus cogruenter occurrere ualeant, singulorum actorum mercedes, si adhuc statutæ non sint, quamprimum statuant, & in Tabulam, publice in Curia proponendam, redigant, & obseruari faciant.

Monemus omnes, & singulos notarios, actuarios, & eorum scribas, qui certum salarium ab Episcopo non habent, eisdemq; interdicimus, ne sub pœna priuationis officij, & alia arbi-

arbitraria, citra pœnas a iure prolatas, & a Sacri Tridentini Concilij Canone inflictas, pro scriptura collationis Ordinum, aut dimissorijs ad eos suscipiendos, quidquam de cetero ultra decimam partem aurei accipere præsumant, aut possint.

In causis uero, quę mere spiritnales sunt, etiamsi nullum stipendium constitutum habeant, nihil prorsus accipiant, pręter id quod Episcopus pro scripturæ mercede statuendum curabit, exceptis tamen locis, in quibus uiget laudabilis consuetudo, ut nihil accipiatur.

Appellationes nonnisi a definitiua sententia, aut definitiuę uim habente, uel a grauamine, quod per appellationē a definitiua reparari nequeat, iuxta Sacri generalis Concilij Tridentini decreta, non recipiantur, nec admittantur, neque inhibitio aliqua concedatur.

Ne uero iudicia, & lites, cum indebitis partium expensis, iniuste protrahantur, si in casu a prædicto Concilio permisso appellatum fuerit, & a Metropolitana Curia inhibitio emanauerit, Notarij eorumq; scribæ, & actuarij, qui in actorum, & processuum exhibitione eiusdem Concilij decreta seruare neglexerint, seu copiā actorū fraudulenter exhibere distulerint, necnon & Iudex, qui illam impedierit exhiberi, pœnę dupli, quanti ea lis fuerit, subijciantur,

& exacta, inter appellantem, & pauperes loci distribuatur, atq; ab officiorum administratione arbitrio Ordinarij suspendantur, iuxta eadē Concilij Tridentini decreta, quæ & in nostra Metropolitana Curia omni modo, & inuiolabiliter obseruentur.

De examine, & processu promouendi ad Cathedrales Ecclesias.

CVm in sumenda de qualitatibus eorum, qui ad Ecclesias Cathedrales regendas promouendi sunt, informatione, seu testimonio, non eadem ratio, pro uarijs nationum, & Prouinciarum moribus adhiberi posit; propterea Sacrosanctum Concilium Tridentinum mandauit, ut in Prouincialibus Synodis habendis quibuscumque Prouincijs propria examinis, & inquisitionis forma præscribatur, a Summo Romano Pontifice approbanda, quę locis magis utilis, & opportuna uideretur. Nos, eiusdem Concilij decreto obtemperare uolentes, hanc formulam sanctissimi D.N. Papæ arbitrio approbandam pręscribimus, & proponimus; seu præscribendam, & proponendam esse iudicamus.

Episcopus, cum de alicuius, qui ad Episcopatum Prouincię nostræ promouendus erit, faciendo examine Apostolicum mandatum acceperit,

rit, non paucioribus ſeptem, uel pluribus, prout opus fuerit, probatis, & doctis, ac pijs uiris, omniq. exceptione maioribus iuratis teſtibus, qui uериſimiliter de infraſcriptis informati ſint, ex officio uocatis, de promouendi natalibus, ætate, fide, uita, moribus, corporis habitu, ſcientia, & gradu, quamdiligentiſsime cognoſcat, & his, uel ſimilibus interrogationibus inquirat, & in primis.

An Teſtis cognoſcat N. promouendum, & a quo tempore, & ubi, & quæ fuerit cauſa cognitionis?

An ſit illius conſanguineus, uel propinquus, aut familiaris, aut inimicus, aut odioſus?

An N. promouendus ex legitimo matrimonio, ac honeſtis, & Catholicis parentibus procreatus, ſeu natus fuerit?

An fuerit hæretici filius, uel nepos?

An ſit fide Catholicus, & Orthodoxus?

An hæreticorum libros legerit, uel retinuerit, aut habeat, & retineat?

An cum hæreticis conuerſatus fuerit; An eis aliquando fauerit, opem, conſilium, uel auxilium præſtiterit, ſiue eos iuuerit, aut receptauerit?

An expleuerit trigeſimum ſuæ ætatis annum, uel cuius ætatis ſit?

An ſit bonæ exiſtimationis, & famæ?

An fuerit criminoſus, uel aliqua nota in uita, moribus, uel doctrina laborauerit, uel aliquando notatus fuerit?

An umquam publicam pænitentiam illum agere oportuerit?

An aliquando inſanierit, ſeu mente captus, uel energumenus, ſeu a dæmone uexatus fuerit?

An inimicitias capitales habeat, uel exerceat, & præſertim in Ciuitate, & Diœceſi, ad cuius Eccleſiam promouendus eſt?

An ſit excommunicatus, ſuſpenſus, uel interdictus, uel irregularis?

An ſit corpore uitiatus, uel comitiali, aut aliquo perpetuo morbo laboret?

An aliquo defectu, uel impedimento Canonico impediatur, quo Cathedrali Eccleſiæ præfici poſsit?

An aliquem umquam uerbis, uel opere offenderit, uel ſcandalizauerit?

An ſit uir pius, ſobrius, pudicus, honeſtâ uitâ, & bonis moribus præditus, caſtus, humilis, & domui ſuæ bene præpoſitus?

An ſit uir grauis, prudens, conſilio maturus, timoratæ conſcientiæ, exemplaris, ac Dei honoris, & ſalutis animarum zelator?

An ſacris ordinibus initiatus ſit, & a quo tempore?

Et, ſi ſit in Presbyteratus ordine conſtitutus; An

ſacro-

ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſæpius offerre, uel celebrare conſueuerit?

Sin autem, An frequenter uiſitet, & adeat Eccleſias, & peccata ſua Sacerdoti confeſſario Sacramentaliter confiteatur, & ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum percipiat?

An litteris, & ſcientia polleat, & cui ſcientiæ operam dederit, ut muneris ſibi iniungendi neceſsitati ſatisfacere poſsit?

Et ideo, An antea in aliqua ſtudiorum Vniuerſitate magiſter, ſiue doctor, aut licentiatus in ſacra Theologia, uel in Iure Canonico ſit promotus, uel publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur; uel, ſi Regularis ſit, an a Religionis ſuę ſuperioribus ſimilem fidem habeat?

An habeat experientiam regiminis Eccleſiarum, uel adminiſtrationis curæ animarum, & alias aptus ad regendum, & docendum populum ipſius curæ committendum?

An denique habeat ceteras qualitates, a ſacris Canonibus, & decretis ſacrę Tridentinę Synodi requiſitas, & cui merito Eccleſia Dei commendari poſsit?

Deinde, ex ijſdem, uel alijs fide dignis teſtibus ſimiliter cum iuramento recipiendis interroget, & inquirat de ſtatu & uacatione Eccleſię, & ſi per obitum, uel renuntiationem, uel tranſ-

lationem ultimi Episcopi, uel alio modo Pastoris solatio destituta sit.

De inuocatione, seu uocabulo dictæ Ecclesiæ Cathedralis.

Et de ualore reddituum, & fructuum illius.

Quæ dignitates, Canonicatus, & Præbendæ sint in ea Ecclesia?

An sacristiam habeat sacris uasis, uestibus, & ornamentis, & reliqua Ecclesiastica, & sacra supellectili sufficienter munitam, uel instructam?

Quæ Monasteria, & Conuentus Religiosorum sint in Ciuitate, & Diœcesi?

Quot opida, & Terrę in Diœcesi, & similia.

Sed & complura ex his etiam per publica documenta, seu instrumenta, litteras, & scripturas comprobari facile poterunt, ut natales, ętas, ordines, gradus, ualor, & status Ecclesiæ, & similia.

Quibus peractis a promouendo, iuxta pręscriptã in litteris fe. re. Pij Papæ IIII. formulam fidei Catholicæ professionem, & sponsionem a promouẽdo recipiat; ac acta, & gesta omnia in publicum instrumentum redacta ad Sanctissimum D. N. Papam sua manu, & sigillo obsignata quamprimum transmittat.

De uita, & honestate Clericorum.

IN primis Clerici habitu incedant honesto, iuxta Sacrorum Canonum præceptum.

Vestes sericas, aut serico contextas, aut ornatas, aut coloratas domi, forisq. nullo modo habeant, sed honestas, & decentes, quæ simplices sint, & coloris nigri.

Talares uestes, uel saltem his palmo breuiores, teneant: qui uero pauperes sunt, & inferiorem talarem habere non poterunt, superiorem saltem usque ad talos demissam gestent.

Camisias, nec collari, nec manicis rugatis, sed planis deferant: pileos per Ciuitatem, & Oppida, nisi ualetudinis, aut pluuiarum, uel aeris inclementiæ causa, non gerant: sint tamen simplices, non acuti, nec turbinati.

Anulos, nisi in dignitate constituti sint, non deferant: Sacerdotes barbam a superiori labro ita detondeant, ut pili in sumendo Sacramento corporis, & sanguinis Domini Nostri Iesu Christi non sint impedimento, seu illud non contingant.

Omnes tonsuram habeant, quam refici quinto decimo quoque die, ac quoties opus fuerit, omnino curent.

Publicas, & parũ decentes comessationes euitent: ebrietates, iurgia, cõtentiones, & rixas fugiant.

Cum

Cum mulieribus, etiam honestis, & alijs coniunctis, præter eas dumtaxat, quæ a sacris Canonibus excipiuntur, dummodo & hæ suspectæ non sint, non cohabitent: nec etiam in uicinia permaneant, quæ ab inhonestis mulieribus inhabitentur.

Noctu sine honesta, & rationabili causa non ambulent: & tunc ad omnem suspicionem tollendam lumen habeant.

Arma, nisi itineris, aut alia rationabili causa ab Ordinario approbanda, non deferant, nec aliquid admittant, quod proximo offensionem præbeat.

Ab omni artificio, quod Clericali ordini non conuenit, abstineant.

Sæcularium personarum, cuiuscumque gradus, uel dignitatis exsistant, negotia sub quocumq. titulo non exerceant, nec administrent.

Mercaturas, seu mercimonia, aut fœnera non exerceant, nec sæcularibus negotijs se immisceant, nec conductiones bonorum, rerum, & iurium Laicorum faciat, neque quidquam tractent, quod ab Clericali honestate alienum sit.

Operas suas alteri mercedis gratia minime locet.

Non sint procuratores, patroni, uel aduocati causarum, in foro præsertim sæculari, nisi suas, uel Ecclesiarum suarum, aut miserabilium personarum causas, aliasq. a Iure permissas prosequantur,

tur, uel defendant.

Curationes, uel tutelas nisi in casibus a Iure permissis non suscipiant.

Cum ad horas Canonicas in Ecclesia recitandas, seu decantandas, uel ad Missarum sollemnia, aut alia diuina officia celebranda accedunt, superpelliceis induantur.

Canonicas horas, uel publice in Ecclesia, qui illas sic obire debent, uel priuatim ad præscriptam Breuiarij Romani iussu sanctæ re. Pij Papæ V. editi rationem recitent.

Qui beneficia Ecclesiastica obtinent, memores sint, quod, si horas huiusmodi uno, uel pluribus diebus recitare omiserint, pro rata temporis illorum fructus amittunt, iuxta Constitutionem Concilij Lateranensis sub fe. re. Leonis Papæ X. ac declarationem eiusdem Pij Papæ V. desuper editam.

Adhæc, cum non ignorent Sacerdotes, ceteriq. sacris, ac minoribus ordinibus insigniti, uocatos se esse in sortem Domini, ac propterea diligentius quærere, quæ Dei sunt, aut quomodo placeant Domino, atq. eius Ecclesiam assiduis precibus, orationibus, & sacrificijs iuuare debere, ne talentum eis commissum in terra defossum habeant, Sacris Canonibus, & Sacri Cōcilij Tridentini decretis inhærentes, præcipimus omnibus, & singulis huius nostræ Pro-

uinciæ Episcopis, ut curent, ut Presbyteri, singulis Dominicis, festisq. diebus de præcepto, ac sollemnibus ad sacrosanctum Altaris sacrificium Deo offerendum sei disponentes, Missas religiose celebrẽt, ac tũc intimo corde perpendãt, & meditẽtur, quale opus aggrediãtur, & tractent: illudq. deuote perficere studeant.

Quæcumq. alia ad Clericorum, uitam, & honestatem, Episcopi pro locorum, & temporum qualitate pertinere uidebunt, iuxta sanctorum Patrum, & sacri Concilij Tridentini decreta statuant, atque prouideant, & Clericos ipsos instruant, eorumq. mores componant, ut tam in publicis, quam in priuatis actionibus uere Clericos se esse (ut profitentur) ostendant, ac propterea cunctis sint uenerationi.

De officio Sacristæ.

Sacrista curet, ut non nisi congruo tempore, aut interdiu tantũ, Ecclesiarũ, sacrariorumq. fores pateãt, nocte uero permaneãt occlusæ.

Pernoctationes, aut nocturnas uigilias, siue comessationes in eis fieri nemini permittat.

Populum, prẽterquam si necessitas aliqua immineat, ibidem excubare, nullo modo patiatur.

Inuigilet etiam super omnes tam Presbyteros, quam Clericos, aliosque, ut, cum Ecclesias, uel sacraria ingrediuntur, de inanibus, profa-

nisq.

nisq; rebus sermones non habeant.

Aquam benedictam singulis Dominicis diebus mane benedicat, & si opus fuerit, etiam sæpius studeat renouare.

Ad quæ quidem omnia fratres mendicantes, & Regulares, ut & ipsi in Ecclesijs suorum Conuentuum, & Monasteriorum idem faciant ad scandala uitanda, & ut ostendant, in his, quę ad diuinum cultum pertinent, nobiscum conuenire, inuitamus.

De Indulgentijs.

CVrabunt Episcopi, ut, cum Indulgentias, uel alias spirituales gratias a Sancta Sede Apostolica emanatas publicari contigerit, formam a Sancta generali Synodo Tridentina pro illarum publicatione traditam accurate seruent, & faciant ab alijs seruari.

Illas autem, pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiutrices, quæue quæstuandi continent facultatem, ex prædictæ Synodi generalis decreto & fe. re. Pij Papæ V. Constitutione, nullatenus publicari permittant, nisi aliter per eandem Sanctam Sedem ex certa scientia fuerit concessum, uel mandatum.

Abusus insuper, qui circa hunc pium, & salutarem Indulgentiarum usum irrepserint, unusquisque diligenter inquirat, colligat, & in pri-

ma Synodo Prouinciali referat, ut aliorum Coepiscoporum sententia cogniti, ad Sanctissimum D. N. Summum Romanum Pontificem referantur, eoque consulto, quid maxime expedire uidebitur statuatur.

De eleemosynarum Quæstoribus abrogatis, et de cetero non admittendis.

PRaui Eleemosynarum Quæstores, aut Ministri, quorum nomen, atq. usum eadem Sancta Generalis Synodus Tridentina penitus aboleri mandauit, & abrogatos esse uoluit, ad officium huiusmodi exercendum, eiusdem Synodi auctoritate, & memorati præcepti uigore, de cetero non admittantur.

De Excommunicationis sententia.

CVm Excommunicationis gladium, qui ad continendos in officio populos admodum salutaris est, Sancta Synodus Tridentina sobrie, magnaq. circumspectione exercendũ esse præceperit; ideo nos, iuxta eiusdem Synodi decretum, excommunicationes, quæ, monitionibus præmissis, pro deperditis, aut subtractis rebus ad finem reuelationis ferri solent, a nemine prorsus, preterquam a solis Episcopis, decerni, seu concedi uolumus, & tunc non alias, quam causæ cognitione mature adhibita,

hibita, & pro re non uulgari.

Præterea Episcopi, uel eorum Vicarij generales in proferendis sententijs excommunicationis, in causis iudicialibus, siue criminalibus, siue Ciuilibus, id quod a prædicta generali Synodo præscriptum est integre, & inuiolate seruare studeant.

De piorum locorum Administratoribus.

EPiscoporum muneri maxime incumbit, ut Hospitalium, & eorum proprie locorum, quæ ad pauperum usum instituta sunt, bona, & redditus, nec dissipentur, nec modo aliquo occupentur. Quapropter monemus Episcopos, &, quantum in Domino possumus, obnixe obtestamur, ut illorum pręcipuā suscipiāt curam, & in primis Administratores, & magistros ad huiusmodi regimen assumant, seu assumi curent, qui probatę uitæ sint, qui ue in operibus caritatis sese exercere consueuerint, quiq. suæ familię benę pręsint, ac ipsorum locorum debitores nullatenus exsistant, ab ipsis, iuxta sæpe dicti Concilij Tridentini decretum singulis annis administrationis rationes exigant, &, si quid in ipsorum, suorumq. usum compertum fuerit uertisse, illud integrum restitui faciant: & demum in reliquis, quæ ad illorum administrationem, & conseruationem

pertinere uidebuntur, paternam (ut decet) exerceant charitatem.

De Vsuris.

VSurariȩ prauitatis crimen detestabile quidem penitus abolere cupientes, Episcopos hortamur enixe, ut, pro summa eorum prudentia, pestem hanc a suis ouibus opportunis remedijs arcere, & funditus tollere contendant, & illicite contrahentes ad resipiscendum a tanti sceleris immanitate moneant, & inducant, eisq. sub grauissimis censuris, & pœnis quæcumq. usurarum genera interdicant.

Emptiones, & uenditiones, quas in Prouinciam nostram in captiosam animarum perniciem inuectas, & in usum receptas esse audiuimus, ut pluris, quam ualeant, res ipsæ uendantur, pretia uero earum soluenda differantur ad certum tempus, puta ad moleras, uel aliarum nundinarum dies, iuxta contrahentium conuentionem, & propterea supra iustum ualorem augeantur, prohibeant, & tollendas diligentissime curent, & contractus, si quos inuenerint eiusmodi, usurarios, & nullos declarent.

De Pœnis.

CVm tam delinquentes interdum, ut se a pœnis Canonicis eximant, curiȩ pecunias

ſoluere, uel cum ea pecunijs tranſigere ſatagant, quam etiam Iudices, uel per ſordes, uel auaritiæ ſtudio eos ad cōpoſitiones, uel tranſactiones pecuniarias quandoq. admittant, aut aliter reis pecuniarias mulctas infligāt: Idcirco, ad tollendam omnem cupiditatis, & auaritiæ ſuſpicionem, ſtatuimus, & mandamus, ne quis de cetero Epiſcopus, uel Iudex Eccleſiaſticus pro criminibus, & delictis, pro quibus eſt a ſacris Canonibus, uel ab Apoſtolicis, aut alijs generalibus, uel noſtris Synodalibus Conſtitutionibus certa pœna delinquentibus iniun cta, ullo modo pecuniariam pœnam imponat, aut exigat, aut deſuper pecuniarias compoſitiones, uel transactiones faciat, niſi in caſibus a iure permiſsis.

In alijs uero exceſsibus, & cauſis, in quibus uel certæ pœnæ ſtatutæ non ſunt, uel ex antiquis Canonibus, aut Apoſtolicis, & alijs generalibus, aut etiam ex noſtris Conſtitutionibus mul ctæ pecuniariæ irrogantur, & certo uſui, uel operi ſpecialiter applicatæ non ſunt, ſuo arbitratu imponere, ſeu indicere, ac cum omni moderatione exigere, ſeu exigi facere poſsit, eaſq. locis pijs omnino applicet.

Eas uero pecunias non ſibi, neq. ſuo uſui, aut com modo applicet, uel retineat, ſed uirum Eccleſiaſticum idoneum, & probatum illarum ex

actorem,

actorem, & depositarium instituat, & per eum quoties occurrerit, in pia loca, uel opera eroget, & distribuat: ille uero codicem rationum dati & accepti habeat, & in eũ omnia referat.

Decretum generale.

TVm denique omnia, & singula in his nostris decretis comprehensa, ac alia quæcumque tam a sacris Canonibus, & Apostolicis ordinationibus, quã a Generalibus quibuscunq. Concilijs præsertim uero a Sacrosancta Synodo Tridentina statuta, ac definita, siue fidei dogmata, siue reformationem, & morum correctionem respiciant, plene atq. integre ab omnibus Comprouincialibus Episcopis, Abbatibus, Capitulis, & alijs Ecclesiasticis personis, quę per se, uel per eorum idoneos procuratores huic nostro Prouinciali interfuerunt, aut interesse habuerunt, ac etiam laicis quibuscumque, quo ad ea, quæ ad ipsos spectant, seruari debere decernimus, ac sub iuris, & arbibitrij nostri censuris Ecclesiasticis, & pœnis districte præcipiendo mandamus, saluis tamen in omnibus Constitutionibus & consuetudinibus Ecclesiarum, quæ arctiorem, & laudabiliorem obseruantiam exigunt. Iniungentes eisdẽ Episcopis, ut hæc ipsa decreta, seu Constitutiones post sex mensium spatium in eorum Ciuitatibus,

tatibus, & Diœcesibus publicari, & ab omnibus obseruari curent. Decernentes etiam, omnes, & singulas admonitiones, statuta decreta, & mandata in hac Synodo facta, & ordinata, ac illorum promulgationem, ita omnes, & singulos, quos tangit, afficere, ac si personaliter, & singulariter singulis ipsa notificata, & intimata fuissent, prout tenore pręsentium eisdem notificamus, & intimamus. Quod si contra quidquã eorũ fecerint, uel admiserint, pœnis, ac multis, quæ in eis cõstitutæ sunt, & alijs Episcoporũ arbitrio imponẽdis constringẽtur.

Postremo omnia, & singula, quæcumque in hac Prouinciali Synodo acta, gesta, decreta, & sancita sunt omni qua debemus humilitate, submissione, & obedientia, Sanctæ Sedis Apostolicæ, omnium Ecclesiarum matris, & magistræ, iudicio, atq. auctoritati emendanda, & corrigenda subijcimus, & offerimus, parati semper omnem emendationem, & correctionem suscipere, ac obseruare.

Ego Franciscus Antonius Sanctorius, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Sanctæ Seuerinæ, & in Synodo Prouinciali præsidens, de consilio, & assensu Reuerendissimorum Suffraganeorum meorum definiens, supra-

supraſcriptis Conſtitutionibus ſubſcripſi.

Ego Caſar Iacomellus, Epiſcopus Bellicaſtrenſis, ſubſcripſi.

. . . .

Ego Petrus Burdonus, Epiſcopus Vmbriaticenſis, ſubſcripſi.

Ego Sebaſtianus, Epiſcopus Gerentinenſis, & Cariatenſis.

Ego D. Ioannes Andreas Protoſpatharus, Decanus Petilienſis, & Procurator Reuerendiſsimi D. Gregorij Formicini Epiſcopi Strõgulenſis abſentis, legitime impediti, ſubſcripſi manu propria.

FINIS.

CONCILIVM PROVINCIALE TERTIVM SANCTAE SEVERINAE

ſub

Alphonſo Piſano, Archiepiſcopo.



DECRETA TERTIAE SYNODI PROVINCIALIS SANCTAE SEVERINAE

sub

Alphonſo Piſano, Archiepiſcopo.

NOS Alphonſus Piſanus, Dei, & Apoſtolicę Sedis gratia Archiepiſcopus Sanctæ Seuerinæ, de Reuerendiſsimorū Dominorū Coepiſcoporum noſtrorū conſilio, & aſſenſu, in Prouinciali Synodo Sanctæ Seuerinæ in noſtra Metropolitana Eccleſia habita, hæc, quæ ſequuntur, obſeruanda ſtatuimus, præcipimus, & mandamus.

De Sanctæ Fidei Catholicæ integritate tuenda.

CVm omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio ad Dei gloriam, & ad ſalutē animarum inſtituta ſit, Sanctæ Catholicæ fidei, fundamentis inniti debet, quæ Chriſtianarum baſis quædam eſt, & origo uirtutum. Ab ea igitur

incipientes, hortamur, obtestamur, obsecramus in Domino Episcopos, ut in eius integritate retinenda, atq; tuenda omne studium, omnem operam, omnem mentem, cogitationem, sensus denique omnes figant, & collocent, nec quidquam, ne minimum quidem, aut conniuentibus oculis dissimulent, aut per incuriã prætermittãt, quod, ne in sua sinceritate integra, & illibata permaneat, impedire posse uideatur.

Hoc conseruandæ fidei zelo flagrent Antistites, hoc ardeant Parochi, & quicumq. curam gerunt animarum, atque, ut illi dioeceses, sic isti Parochias suas perlustrent, ne quis lateat in grege, ouina sub pelle Lupus, sed discant ab eis oues, quomodo Leoni circumeunti, ac quem deuoret quærenti, resistant fortes in fide.

Articulos Fidei, & alia, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, Parochi, & alij curam animarum habentes, Dominicis, & Festis diebus, inter Missarum sollemnia, & Diuinorum officiorum celebratione explanent, iuxta Catholicam, & sanam doctrinam, quam ex Catechismo Romano, ad eorum usum edito, & alijs Sanctis Patribus, & Catholicis doctoribus, accipient. quod qui memoriter recitando efficere non possunt, legendo præstent. Si qui uero ita rudes exstiterint, ut nullo pacto ualeãt huic muneri satisfacere, eligantur ab Episco-

pis,

pis, cum congrua ex beneficiorum fructibus mercedis assignatione, uiri ad eam rem idonei, qui iisdem diebus populo sacra eloquia explicent.

Quoniam autem homines, eorum, quæ a rudibus annis percipiunt, natura tenacissimi sunt; & quæcumq. puerilis ille candor acceperit, ueluti in tabula impressa perpetuo inhęrent, non parum interest ad fidei puritatem conseruandam in timore Domini, puerorum educatio: quod intelligentes, & Sapientis dictum memoria retinentes, quod Adolescens iuxta uiam suam etiam cum senuerit non recedet ab eâ; & quod Initium sapientiæ timor Domini, hortamur carnales, & spirituales parentes, ut timere Deum filios suos doceant, & Catholicæ fidei rudimentis informent. idq. ut efficiatur, Episcopi non solum Parochos modis omnibus inducant, & cogant, ut in ea re a prandio Dominicis, & festis diebus se exerceant, iuxta sacri Concilij Tridentini decretum; sed ipsimet Doctrinæ Christianæ Confraternitatē in Ciuitatibus, ac singulis suarum diœcesum locis erigendam curent, propositisq. Indulgentijs, quæ a fe. re. Pio Papa V. & Gregorio XIII. Summis Pontificibus huiusmodi Confraternitati concessæ sunt, non pueros modo, sed adultos etiam statis diebus eo conuenire, ac ijs,

quæ

quę ad ſalutem pertinent,imbui curabunt.

De ſuperſtitionibus tollendis.

SVperſtitiones, ethnicæ infidelitatis reliquias, & ſemina, in quibus Diuina maieſtas grauiter læditur, fidei uiolatur integritas, & animabus peſtis, atque exitium infertur, ab agro Domini, qui noſtrę curæ commiſſus eſt, cum ipſius adiutorio euellere, atq. exſtirpare cupientes, præcipimus, ut Parochi admoneant populos ſuos, ne quiſpiam, ſeu uir, ſeu mulier, in Vigilia, uel die feſto Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, uel Sanctorum Apoſtolorū Petri, & Pauli, plumbum, ſeu ceram liquefactam in aquam diffundere præſumat, ex cuius tractu, formiſue mulierculę pręſertim, diabolica perſuaſione deceptæ, audent futura diuinare; non herbarum faſcem, infantis inſtar indutum, baptizet, tenenteſq. compatres, & commatres appellet; proindeq. cruſtula, aliaq. xenia mittat ad amicos; non cinaram noctu ſub dio relictam an bene, maleue floruerit exploret; non ligulas aut res alias ex uaſe depromat, opprobria, laúdeſue canens; non anulo in ore retento, quid quiſq. loquatur, obſeruet, unde auguria, & uaticinationes elicere pręſumat; non humanam imaginem perſonatam, ac ueſtibus muliebribus indutam componat, apud

eam ethnico more cantãdo, messoribus ad herbas coram ea metendas accersitis; aliaue his similia, deterioraq. sacris illis, aut alijs diebus cõmittat: herbas præterea in die Ascensionis Domini, quibus superstitiose utantur mulierculæ, ne colligant, nec in die sancto Paschæ ad fluentes aquas accedant, quas prætergressæ, aut in eis ablutæ morbos quosdam a se eo anno abdicasse opinantur.

Moneant etiam, incantationes, & carmina, siue ore pronuntiata, siue chartulis, & membranulis scripta, aut laminis, uel anulis incisa, quibuslibet infirmitatibus, aut necessitatibus hominum nihil remedij posse conferre; non animalibus languentibus, uel etiam moribundis quidquam mederi; sed hæc esse laqueos, & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

Si qui superstitiones huiusmodi, uel alias exercere, seu gestare deprehẽsi fuerint, cuiuscumq. gradus, condicionis, & sexus exstiterint, Episcopi in eos Canonicis pœnis, atq. alijs eorũ arbitrio grauiter animaduertant.

De Apostatis a fide.

SÆpe accidit, ut nonnulli Christiani a Turcis, & Infidelibus, qui crebris incursionibus has maritimas oras infestant, capti, in seruitu-

tem

tem abducantur, ac errore, uel terrore, desperatione, aut astu a fide deficiant, & se etiam circumcidi patiantur: qui si postea reuertuntur ad suos, rubore patrati sceleris, culpam negant, neq. Ecclesiastica reconciliatione ullam ulceri suo quærunt adhiberi medicinam, &, dum fortes haberi uolunt, fiunt imbecilliores, ac, neglecto salutaris disciplinæ baculo, semper claudicant, uitam gentium uiuunt, & in grauia crimina prolabuntur.

Nonnumquam etiam pernicioso cum infidelibus commercio eis cibaria subministrant, & quandoque proditione facta in Christianorum sanguinem, ijsdem commixti, grassantur.

Iidem precibus, aut precio conducti, sępe numero mentiuntur, & peierant, affirmantes, nonnullos captiuorum, qui uiuunt, uita apud infideles excessisse: unde fit, ut multa matrimonia contrahantur, quæ, redeuntibus ueris coniugibus, dirimi, cum maximo scandalo, ac perturbatione, necesse est.

Quare, ut tantis malis ijs, quibus possumus, remedijs, & cautelis occurramus; statuimus, ut, cum quis ab Infidelium seruitute reuertitur, statim ab eius loci Vicario moneatur, ut quãprimum Episcopum adeat, salutaria uerba ab eo auditurus.

Si huic primæ monitioni non obtemperauerit,

nec infirmitate, aut alia iusta causa præpediatur, quo minus Episcopum conueniat, eius rei faciat Vicarius ipsum Episcopum certiorem: qui eum si secundo, ac tertio monitum minus obsequentem, ac pertinacem offenderit, per pœnas, & censuras Ecclesiasticas, uel alias, prout magis expedire iudicauerit, ut mandatis Ecclesiæ assuescat obedire, compellat.

Si dicto audiens fuerit, eum benigne excipiat Episcopus, & cum gratiarum actione, quod ouẽ suam Deus à luporum faucibus ereptam ad propria, seu tuta loca reduxerit, leniter interroget, num in fide Christiana permanserit, uel (quod absit) ab ea apostatauerit.

Affirmanti se aliqua causa, uel prætextu fidem abnegasse, sed se Ecclesiæ reconciliatum esse, nisi suæ reconciliationis authentica documenta exhibuerit, non credatur.

Negãti uero non erit continuo adhibẽda fides, sed suadendũ, ne præ pudore subticeat, quod deberet humiliter confiteri: nullum esse tam graue peccatum, quod benignitas Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi per ueram pœnitentiam non remittat, ut per Prophetam loquitur, dicens: In quacumq. hora conuersus fuerit, & ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius: & Ecclesiam, tamquam piam matrem, numquam claudere gre-

Ezec. 33. & ca. ponderet, L. dis.

O mium

mium redeuntibus; &, dum in negando persi stit, si ætas, & qualitas personæ, aut diuturnitas temporis, quo inter Infideles uersatus est, uideantur posse suspicionem efficere, nullum relinquat argumentum, quo modis, quibus poterit honestioribus, rem, de qua ambigitur, certius experiatur.

Si, ea adhibita diligentia, in fide constans uere fuisse dignoscitur, commendet eius constantiam, quam Deo acceptam referat, & de his, quæ inferius præscribētur, examinatum, tamquam optimum athletam, cum humanitate dimittat.

Sin autem Apostatam offenderit confitentem errorem suum, & ueniam humiliter petentem, consoletur eum, &, salutaribus monitis acceptis, in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, iuxta ordinem Pontificalis, reconciliet. Negantem uero, ac in iudicio mentiri conuictum, pœnis a sacris Canonibus inflictis subijciat, ut infra de delato in iudicio præscribitur.

Reconciliato litteræ testimoniales nō concedantur, nec is, qui reconciliatione non indiget, dimittatur prius, quam ab Episcopo, uel eius officiali, præuio iuramento, examinatus, recenseat nominatim, quibus in Regionibus fuerit; quos Christianos, præsertim huius Prouinciæ, inibi liberos, aut in seruitute degentes agno-

scat,

ſcat, & quos, ubi, quoue mortis genere ex hac uita migraſſe ipſemet uiderit, aut audierit.

Ea uero teſtificatio in Archiuio repoſita magno uſui erit ad eorum falſa, atque in aliorum gratiam confićta teſtimonia repellenda: quibus ſi huic priori teſtificationi conformia non fuerint, nulla prorſus fides adhibeatur.

Parochi, intra quorum Parochiæ fines iſtiuſmodi homines habitare contigerit, eorum facta, dicta, conuerſationem, uitæq. inſtitutum diligenter obſeruent; atque in eo mentis oculos, omnemq. cogitationem figant, ne qua in illis infidelitatis ſemina pullulent: quod ubi odorati fuerint, Epiſcopum commonefaciant, qui, pro ſua prudentia, ouis ſuæ ulceri neceſſaria medicamenta adhibere curabit.

Quod ſi quis de huiuſmodi apoſtaſia in iudicio delatus fuerit, præcedentibus legitimis indicijs, contra eum (ſicut contra hæreticum fit) procedatur; &, ſi, iuris ordine ſeruato, de apoſtaſia legitime conſtiterit, & ipſe pænitens fuerit, ad eam, & omnem aliam hæreſim ſimpliciter abiurandam pœnis, & pænitentijs ſalutaribus, ad præſcriptum iuris impoſitis, compellatur; ſin uero de ſuſpicione tantum, illam, tamquam uehementer, aut leuiter ſuſpectus, pro ratione facti, & perſonarum, abiuret, prout in crimine hæreſis obſeruatur. ſi uero indi-

cia purgauerit, aut alias innocens, uel non culpabilis repertus fuerit, dimittatur, aut, prout iustum fuerit, liberetur.

Sed &, cum aliquis e dictorum infidelium captiuitate reuertitur, & sponte sua, nullisq. præuentus indicijs, coram Episcopo, uel eius Curia pænitens comparet, & in iudicio confitetur se abnegasse fidem, & sectæ Mahumetanæ credidisse, seu adhæsisse, uel in ea uixisse, iuxta eius confessionem, formaliter apostasiam huiusmodi abiuret, & recipiatur, & reconcilietur iuxta dictum ordinem Pontificalis, impositis eidem pænitentijs salutaribus tantum. Verum, si negauerit intentionem, & credulitatem, nec umquam animo à Christi fide defecisse, fateatur autem aliquos se tantum actus apostaticos secũdum eam sectam commisisse, seu ritus infidelium seruasse, uel etiam se circumcidi passum esse, (nisi ui præcisa, & inuitus fuerit circumcisus, quod culpa caret) standum est eius confessioni, prout cuiusq. sponte comparentis dicto creditur. ac ita ex ijs non est censendus apostata, sed suspectus tantum, aut leuiter, aut uehementer, pro qualitate facti, causa, tempore, & loco, ac ætate comparentis, atq. alijs circumstantijs mature perpensis.

De Zingaris.

Zingari, uagum, & fallax hominum genus, fere in nostra Prouincia frequens, cum primum in locum aliquem diuerterint, ab eius loci Vicario uocati interrogetur, An Christiano, & Catholico more uiuant; An Baptismi, & Confirmationis Sacramenta receperint; An matrimonia tribus monitionibus praecedentibus in facie Ecclesiae cum Sacerdotali benedictione contrahant; & An in gradibus & temporibus ab Ecclesia prohibitis; An sint primis Christianę fidei rudimentis imbuti, An Paschae tempore sua peccata confiteantur, & qui a Parochis non prohibentur communicēt; eiusdemq. sacrae Communionis proximo Paschate sumptę, aut saltem confessionis cedulā ostendant; An Quadragesimae tempore, alijsque, quibus est aut ieiunandum, aut a carne abstinendum, diebus, cibis uetitis uescantur; An infirmi, ac morti proximi Paenitentiae uiatici, atq. Extremę Vnctionis sacramenta percipiāt, & An defuncti Christiano more tumulentur, Si quid in eis, quod haeresim, aut schisma redoleat, deprehendatur, fiat Episcopus eius rei certior, aut, pro suo munere, iuxta Sacrorum Canonum statuta, procedat. Abusus uero, rapinas, diuinationes, manuum

inspe-

inspectiones, ac deprauatos eorum mores ita detestetur, ut intelligant, nisi ab eis abstinuerint, se esse & ab Ecclesia, & a Diœcesi eijciẽdos, & pro modo culpæ seuere puniendos.

De Græcis, et Albanensibus.

GRęcum hominem, qui nuper ab Orientis partibus profectus est, Parochi ultra octo dies monere non differant, ut ad Episcopum accedat, cui se in unitate Catholicæ Ecclesiæ, & sub obedientia Romani Pontificis uiuere uelle testetur. quod si exsequi recusauerit, rem ad Episcopum referant.

Presbyter, aut quiuis alius in sacris ordinibus con stitutus, nisi de sui Ordinarij licentia ab Antistite Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiam, & communionem habente promotus, ac litteris eiusdem Ordinarij commendaticijs Episcopo loci, ad quem diuerterit, ostensis, & probatis, non admittatur ad exercendas suorum ordinum functiones.

Eorundem Gręcorum libros, tam impressos, quã manu scriptos, singulis annis in eorum uisitationibus, adhibitis Græcæ linguę peritis, si eorum copia commode haberi potest, Episcopi recognoscant.

Coniugibus Latinis, & Græcis matrimonia inter se contrahentibus cauendum est, ne ea occa-

sione

sione Latinus, Latinaue ad Grçcum ritum descendat; sed potius coniugem a Grçco ad Latinum ritum, qui tutior est, trahere omni ope, studioq. nitatur: neq. eo casu a Grçco, sed a Latino Sacerdote benedictio fiat, & nihilominus patris ritum proles sequatur, nisi mater Latina præualuerit.

Vbi Græci cum Latinis permixti uiuunt, die sabbathi, Vigilijs, & Quattuor temporibus, ut a carnibus abstineant, propter scandalum inducantur, dicente Apostolo: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in çternum, ne fratrem meum scandalizem. 1. Cor. 8.

Ad Ecclesias in Natali Domini, & Pascha, ac in tumulandis defunctis, seu in Missis, quæ pro eis celebrantur, aut alia quacumque causa nõ liceat prandia deferre, & conuiuari, cum idem Apostolus id non laudauerit, dicens: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? &, si quis esurit, domi manducet: scriptumq. sit; Domus mea domus orationis uocabitur.

Cetera, quæ ad Græcorum reformationem attinent, quemadmodum in Concilio Prouinciali sub nostro Prædecessore edito statuta sunt, inuiolate seruentur.

De frequentatione Ecclesiarum.

MVltos, & Dei timoris, & propriæ salutis ita cepit obliuio, ut Ecclesias frequentare, Diuinis interesse officijs, & uerba Dei audire negligant, ac in uirginibus, & puellis ignominiæ loco habeant, ut ad Ecclesiam accedant. quæ res quam sit Christiano homine indigna, satis ex se patet. quo modo enim ex Deo esse possunt, qui uerba Dei, quæ in Ecclesia prędicantur, audire contemnunt? Quare Episcopi, pro suo pastorali munere, Parochis omnibus mandent, ut super gregem suum uigilantes in huiusmodi homines animum adijciant, &, nisi, moniti, Dominicis, & festis de prȩcepto diebus ad Ecclesias accedāt, Missam, & alia, quæ ad salutem necessaria sunt, audituri, eorum nomina ad Episcopum quisque suum deferat, qui, pro sua prudentia, lenibus primum hortationibus, mox, si expedire uidebitur, censuris Ecclesiasticis, alijsq. pœnis eius arbitrio constituendis, accedere nolentes compellat.

Quod superiore Concilio statutum fuit, ut, elapso mense post maritorum, & propinquorum obitum, mulieres ad Ecclesiam accedere compellantur, obseruari omnino deberet, tametsi habeat usus, ut quadragesimo die nocturnum,

& Missa pro defuncto solemniter celebrentur, & ante id tempus ne pedem quidem a domo extrahant. Propterea nos quidem sexus fragilitati compatimur, sed tamen eas in Domino uehementer hortamur, ne diutius animas Ecclesiarum salutari conspectu differant recreare; uolumusque, ut Parochi illas post propinquorum mortem inuisant, consolentur sacrorum librorum auctoritatibus, & sanctarum fœminarum exemplis hortentur, ut, luctu, ac mærore deposito, Diuinæ uoluntati se præbeant obsequentes, &, quando a Deo, ut filię a parente, corriguntur, & rebus carioribus orbantur, tunc magis ei adhærere, & spem suam in eo collocare satagāt, atq. ita, ut ad Ecclesiam accedant, inducantur. Quod si, recēti adhuc mœrore, nihil profecerint, easdem sępius hortari, atq. admonere ne intermittant. Quod si diutius ultra 40. diem in ea consuetudine ad Ecclesiam non accedendi persistere uiderint, certiorem faciant ea de re Episcopū, qui opportunis remedijs oues suas ad meliorē frugem reuocare studebit.

Abusus autem, quo uirgines, & puellæ ita domi continentur, ut ad Ecclesias, ut præfertur, accedere non permittantur, omnino tollatur.

Mendici ante fores Ecclesiæ maneant, nec per Ecclesiam huc atq. illuc discurrentes, eorum, qui sacris intersunt, animos a diuinarum rerum

meditatione, atq. attentione distrahant.

Armati sclopis, aut hastis, diuinorum officiorum tempore, armis non depositis, Ecclesias ingredi non præsumant.

De sacris Imaginibus, Campanis, & Vestibus.

SAcras imagines in Altari, & Campanas maiores in Campanili ante earum solemnem benedictionem collocari prohibemus.

Indumenta Sacerdotalia, sacræ Vestes, & lintea-mina Altaris, Corporalia, & pallę neque sine benedictione sacris ministerijs adhibeantur; neq. ea, quæ ad sæcularium Ecclesiarum usum comparata sunt, ad Regulares, sed ad Episcopos benedicenda perferantur.

Ad pallas Altaris, & ad Corporalia lauanda propria habeantur Vasa, in quibus nihil aliud fiat.

De Sacramentorum administratione.

EPiscopi curent, ut sancta sanctè administrentur, nec margaritas porcis contrectandas exponant. Porro, si mundi iubebantur esse ij, qui ferebant uasa Domini, quanto mundiores, & puriores interius esse debent, qui Sacramenta, quę Diuinam gratiam continent, & conferunt, populis administrant?

Videant igitur in primis, ut ad Sacramentorum ministerium eos promoueant, quos probitas,

quos pietas, quos ſcientia, quos prudentia commendat.

Moneant eoſdem, ut in illis decenter, & opportune adminiſtrandis ſoliciti ſint, ut ad eorum, maxime uero Sacramentalis Confeſsionis & ſacræ Communionis frequentiam populos inducant, ut parochias bis ſaltem in hebdomada circumeant; inueſtigantes, qui ſint in eis infirmi, & quibus ſacris miniſterijs indigeant, eaque, ut cuiuſque neceſsitas poſtulauerit, diligenter exhibeant.

Non exſpectent, ut ab infirmis uocentur, ſed ipſi in eorum domos ultro ſe conferant, ac opportune, importuneque eorum ſaluti neceſſaria ſuppeditent, & Sacramenta miniſtrent.

Si cuiuſquam eorum incuria factum eſſe comperint, ut infantes ſine Baptiſmo, aut adulti ſine Pœnitentiæ uiatico, uel Extrema unctione decedant, grauiter in eum animaduertatur.

Cuiuſque Sacramenti adminiſtratio gratis omnino, ac iuxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum, ſumma cum ueneratione, & reuerentia fiat: &, qui ad aliorum ſordes abluendas accedunt, purgent ſe prius Sacramentali peccatorũ confeſsione, uel, ſi confeſſoris copiam non habent, & temporis anguſtia premuntur, de peccatis ſaltem conterantur, nec aliquid in ſe mortiferi peccati culpæ inſidere patiantur: neceſ-

se est enim, ut munda sit manus, quæ diluere sordes curat, & ne forte in eos merito illud dici possit, Medice, cura te ipsum.

Præter idoneorum Ministrorum delectum, alia etiam æque necessaria, ac utilis solicitudo habenda est, ut, qualis sit cuiusq. Ecclesiæ custos, seu Sacrista, diligenter inspiciatur; ne, qui in sacrorum custodem, & dispensatorem eligitur, is sacrilegus, aut dissipator exsistat.

In quacumque Ecclesia, ubi sanctissimæ Eucharistię Sacramentum, & sacra olea seruantur; ac Sacrista haberi consueuit, is sit in Presbyteratus ordine cōstitutus, probatæ uitæ, & laudabilis conuersationis, cui tuto sanctissima Eucharistia, sancta olea, ac fontem baptismalem custodiendi, ac conseruandi cura demandetur. huic uni, etiamsi plures Sacristæ fuerint, tradantur claues, quibus ea Sacramenta occluduntur, nec eas nisi alteri, etiam Presbytero, dum abesse cogitur, credat. Vbi uero Sacrista non habetur, Parochus, seu Rector Ecclesiæ claues penes se retineat, nec ab alijs, quam a Presbyteris, tractari, ac ministrari patiatur, quod Episcopi omnino seruari præcipiant.

Episcopi, in suis diœcesibus residentes, dum legitime impediti nō sunt, ipsi quotannis in Cena Domini Chrisma, aliaq. sacra olea conficiant, seu benedicant; confectaq. seu benedicta ad

dioecesanas Ecclesias, non per Clericos in minoribus ordinibus cōstitutos, cum alienum sit a sacrorum Canonum Instituto, sed per Presbyteros, uel saltem per Diaconos, aut Subdiaconos superpelliceo indutos, laterna cum candela accensa praecedente, deferantur, salua tamen consuetudine illarum Ecclesiarum, in quibus aut honorificentius deferri, aut processionaliter a clero in oppida recipi solent.

In Sanctae Seuerinae dicto, & aliarum Ecclesiarum dioecesibus, in quibus Presbyteri tantum ad ea recipienda accedere consueuerunt, hunc morem, ueteri usu receptum, & antiquis Canonibus consonum, seruari mandamus.

Parochi, ad aliam Ecclesiam transeuntes, successori tradant, quae ad dimissam Ecclesiam pertinent instrumenta, & documenta quaecūq. ac simul libros etiam, in quos Baptizatorum, Confirmatorum, eorum, qui Matrimonia contraxerunt, & qui e uita decesserunt, nomina retulere.

De Sacramento Baptismi.

AD infantes de sacro fonte suscipiendos Parochi non admittant Monachos, & alios, qui a sacris Canonibus ab huiusmodi susceptionibus arcentur.

Moneant ipsos patrinos, ut cognoscant, se eorū,

tem abducantur, ac errore, uel terrore, desperatione, aut astu a fide deficiant, & se etiam circumcidi patiantur: qui si postea reuertuntur ad suos, rubore patrati sceleris, culpam negant, neq. Ecclesiastica reconciliatione ullam ulceri suo quærunt adhiberi medicinam, &, dum fortes haberi uolunt, fiunt imbecilliores, ac, neglecto salutaris disciplinæ baculo, semper claudicant, uitam gentium uiuunt, & in grauia crimina prolabuntur.

Nonnumquam etiam pernicioso cum infidelibus commercio eis cibaria subministrant, & quandoque proditione facta in Christianorum sanguinem, ijsdem commixti, grassantur.

Iidem precibus, aut precio conducti, sæpe numero mentiuntur, & peierant, affirmantes, nonnullos captiuorum, qui uiuunt, uita apud infideles excessisse: unde fit, ut multa matrimonia contrahantur, quæ, redeuntibus ueris coniugibus, dirimi, cum maximo scandalo, ac perturbatione, necesse est.

Quare, ut tantis malis ijs, quibus possumus, remedijs, & cautelis occurramus; statuimus, ut, cum quis ab Infidelium seruitute reuertitur, statim ab eius loci Vicario moneatur, ut quãprimum Episcopum adeat, salutaria uerba ab eo auditurus.

Si huic primæ monitioni non obtemperauerit,

nec infirmitate, aut alia iusta causa præpediatur, quo minus Episcopum conueniat, eius rei faciat Vicarius ipsum Episcopum certiorem: qui eum si secundo, ac tertio monitum minus obsequentem, ac pertinacem offenderit, per pœnas, & censuras Ecclesiasticas, uel alias, prout magis expedire iudicauerit, ut mandatis Ecclesiæ assuescat obedire, compellat.

Si dicto audiens fuerit, eum benigne excipiat Episcopus, & cum gratiarum actione, quod ouē suam Deus a luporum faucibus ereptam ad propria, seu tuta loca reduxerit, leniter interroget, num in fide Christiana permanserit, uel (quod absit) ab ea apostatauerit.

Affirmanti se aliqua causa, uel prætextu fidem abnegasse, sed se Ecclesiæ reconciliatum esse, nisi suæ reconciliationis authentica documenta exhibuerit, non credatur.

Neganti uero non erit continuo adhibēda fides, sed suadendū, ne præ pudore subticeat, quod deberet humiliter confiteri: nullum esse tam graue peccatum, quod benignitas Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi per ueram pęnitentiam non remittat, ut per Prophetam loquitur, dicens: In quacunq. hora conuersus fuerit, & ingemuerit peccator, iniquitatum eius non recordabor amplius: & Ecclesiam, tamquam piam matrem, numquam claudere gre-

Ezec. 33. & ca. ponderet, l. dis.

mium redeuntibus; &, dum in negando persi stit, si ætas, & qualitas personæ, aut diuturnitas temporis, quo inter Infideles uersatus est, uideantur posse suspicionem efficere, nullum relinquat argumentum, quo modis, quibus poterit honestioribus, rem, de qua ambigitur, certius experiatur.

Si, ea adhibita diligentia, in fide constans uere fuisse dignoscitur, commendet eius constantiam, quam Deo acceptam referat, & de his, quæ inferius præscribetur, examinatum, tamquam optimum athletam, cum humanitate dimittat.

Sin autem Apostatam offenderit confitentem errorem suum, & ueniam humiliter petentem, consoletur eum, &, salutaribus monitis acceptis, in gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ, iuxta ordinem Pontificalis, reconciliet. Negantem uero, ac in iudicio mentiri conuictum, pœnis a sacris Canonibus inflictis subijciat, ut infra de delato in iudicio præscribitur.

Reconciliato litteræ testimoniales nō concedantur, nec is, qui reconciliatione non indiget, dimittatur prius, quam ab Episcopo, uel eius officiali, præuio iuramento, examinatus, recenseat nominatim, quibus in Regionibus fuerit; quos Christianos, præsertim huius Prouinciæ, inibi liberos, aut in seruitute degentes agno-

scat,

ſcat, & quos, ubi, quoue mortis genere ex hac uita migraſſe ipſemet uiderit, aut audierit.

Ea uero teſtificatio in Archiuio repoſita magno uſui erit ad eorum falſa, atque in aliorum gratiam conficta teſtimonia repellenda: quibus ſi huic priori teſtificationi conformia non fuerint, nulla prorſus fides adhibeatur.

Parochi, intra quorum Parochiæ fines iſtiuſmodi homines habitare contigerit, eorum facta, dicta, conuerſationem, uitæq. inſtitutum diligenter obſeruent; atque in eo mentis oculos, omnemq. cogitationem figant, ne qua in illis infidelitatis ſemina pullulent: quod ubi odorati fuerint, Epiſcopum commonefaciant, qui, pro ſua prudentia, ouis ſuæ ulceri neceſſaria medicamenta adhibere curabit.

Quod ſi quis de huiuſmodi apoſtaſia in iudicio delatus fuerit, præcedentibus legitimis indicijs, contra eum (ſicut contra hæreticum fit) procedatur; &, ſi, iuris ordine ſeruato, de apoſtaſia legitime conſtiterit, & ipſe pænitens fuerit, ad eam, & omnem aliam hæreſim ſimpliciter abiurandam pœnis, & pænitentijs ſalutaribus, ad præſcriptum iuris impoſitis, compellatur; ſin uero de ſuſpicione tantum, illam, tamquam uehementer, aut leuiter ſuſpectus, pro ratione facti, & perſonarum, abiuret, prout in crimine hæreſis obſeruatur. ſi uero indi-

De Zingaris.

Zingari, uagum, & fallax hominum genus, fere in nostra Prouincia frequens, cum primum in locum aliquem diuerterint, ab eius loci Vicario uocati interrogetur, An Christiano, & Catholico more uiuant; An Baptismi, & Confirmationis Sacramenta receperint; An matrimonia tribus monitionibus præcedentibus in facie Ecclesiæ cum Sacerdotali benedictione contrahant; & An in gradibus & temporibus ab Ecclesia prohibitis; An sint primis Christianę fidei rudimentis imbuti, An Paschæ tempore sua peccata confiteantur, & qui a Parochis non prohibentur communicẽt; eiusdemq. sacræ Communionis proximo Paschate sumptę, aut saltem confessionis cedulā ostendant; An Quadragesimæ tempore, alijsque, quibus est aut ieiunandum, aut a carne abstinendum, diebus, cibis uetitis uescantur; An infirmi, ac morti proximi Pænitentiæ uiatici, atq. Extremę Vnctionis sacramenta percipiāt, & An defuncti Christiano more tumulentur. Si quid in eis, quod hæresim, aut schisma redoleat, deprehendatur, fiat Episcopus eius rei certior, aut, pro suo munere, iuxta Sacrorum Canonum statuta, procedat. Abusus uero, rapinas, diuinationes, manuum

inspe-

ſione Latinus, Latinaue ad Gręcum ritum deſcendat; ſed potius coniugem a Gręco ad Latinum ritum, qui tutior eſt, trahere omni ope, ſtudioq. nitatur: neq. eo caſu a Gręco, ſed a Latino Sacerdote benedictio fiat, & nihilominus patris ritum proles ſequatur, niſi mater Latina præualuerit.

Vbi Græci cum Latinis permixti uiuunt, die ſabbathi, Vigilijs, & Quattuor temporibus, ut a carnibus abſtineant, propter ſcandalum inducantur, dicente Apoſtolo: Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in ęternum, ne fratrem meum ſcandalizem. 1.Cor.8.

Ad Eccleſias in Natali Domini, & Paſcha, ac in tumulandis defunctis, ſeu in Miſsis, quæ pro eis celebrantur, aut alia quacumque cauſa nõ liceat prandia deferre, & conuiuari, cum idem Apoſtolus id non laudauerit, dicens: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis? &, ſi quis eſurit, domi manducet: ſcriptumq. ſit; Domus mea domus orationis uocabitur.

Cetera, quæ ad Græcorum reformationem attinent, quemadmodum in Concilio Prouinciali ſub noſtro Prædeceſſore edito ſtatuta ſunt, inuiolate ſeruentur.

De

De frequentatione Ecclesiarum.

MVltos, & Dei timoris, & propriæ salutis ita cepit obliuio, ut Ecclesias frequentare, Diuinis interesse officijs, & uerba Dei audire negligant, ac in uirginibus, & puellis ignominiæ loco habeant, ut ad Ecclesiam accedant. quæ res quam sit Christiano homine indigna, satis ex se patet. quo modo enim ex Deo esse possunt, qui uerba Dei, quæ in Ecclesia prędicantur, audire contemnunt? Quare Episcopi, pro suo pastorali munere, Parochis omnibus mandent, ut super gregem suum uigilantes in huiusmodi homines animum adijciant, &, nisi, moniti, Dominicis, & festis de pręcepto diebus ad Ecclesias accedāt, Missam, & alia, quæ ad salutem necessaria sunt, audituri, eorum nomina ad Episcopum quisque suum deferat, qui, pro sua prudentia, lenibus primum hortationibus, mox, si expedire uidebitur, censuris Ecclesiasticis, alijsq. pœnis eius arbitrio constituendis, accedere nolentes compellat.

Quod superiore Concilio statutum fuit, ut, elapso mense post maritorum, & propinquorum obitum, mulieres ad Ecclesiam accedere compellantur, obseruari omnino deberet, tametsi habeat usus, ut quadragesimo die nocturnum,

& Missa pro defuncto solemniter celebrentur, & ante id tempus ne pedem quidem a domo extrahant. Propterea nos quidem sexus fragilitati compatimur, sed tamen eas in Domino uehementer hortamur, ne diutius animas Ecclesiarum salutari conspectu differant recreare; uolumusque, ut Parochi illas post propinquorum mortem inuisant, consolentur sacrorum librorum auctoritatibus, & sanctarum fœminarum exemplis hortentur, ut, luctu, ac mærore deposito, Diuinæ uoluntati se præbeant obsequentes, &, quando a Deo, ut filię a parente, corriguntur, & rebus carioribus orbantur, tunc magis ei adhærere, & spem suam in eo collocare satagāt, atq. ita, ut ad Ecclesiam accedant, inducantur. Quod si, recēti adhuc mœrore, nihil profecerint, easdem sępius hortari, atq. admonere ne intermittant. Quod si diutius ultra 40. diem in ea consuetudine ad Ecclesiam non accedendi persistere uiderint, certiorem faciant ea de re Episcopū, qui opportunis remedijs oues suas ad meliorē frugem reuocare studebit.

Abusus autem, quo uirgines, & puellæ ita domi continentur, ut ad Ecclesias, ut præfertur, accedere non permittantur, omnino tollatur.

Mendici ante fores Ecclesiæ maneant, nec per Ecclesiam huc atq. illuc discurrentes, eorum, qui sacris intersunt, animos a diuinarum rerum

meditatione, atq. attentione distrahant.

Armati sclopis, aut hastis, diuinorum officiorum tempore, armis non depositis, Ecclesias ingredi non præsumant.

De sacris Imaginibus, Campanis, & Vestibus.

SAcras imagines in Altari, & Campanas maiores in Campanili ante earum solemnem benedictionem collocari prohibemus.

Indumenta Sacerdotalia, sacræ Vestes, & linteamina Altaris, Corporalia, & pallę neque sinę benedictione sacris ministerijs adhibeantur; neq. ea, quæ ad sæcularium Ecclesiarum usum comparata sunt, ad Regulares, sed ad Episcopos benedicenda perferantur.

Ad pallas Altaris, & ad Corporalia lauanda propria habeantur Vasa, in quibus nihil aliud fiat.

De Sacramentorum administratione.

EPiscopi curent, ut sancta sancte administrentur, nec margaritas porcis contrectandas exponant. Porro, si mundi iubebantur esse ij, qui ferebant uasa Domini, quanto mundiores, & puriores interius esse debent, qui Sacramenta, quę Diuinam gratiam continent, & conferunt, populis administrant?

Videant igitur in primis, ut ad Sacramentorum ministerium eos promoueant, quos probitas,

quos

quos pietas, quos ſcientia, quos prudentia commendat.

Moneant eoſdem, ut in illis decenter, & opportune adminiſtrandis ſoliciti ſint, ut ad eorum, maxime uero Sacramentalis Confeſsionis & ſacræ Communionis frequentiam populos inducant, ut parochias bis ſaltem in hebdomada circumeant; inueſtigantes, qui ſint in eis infirmi, & quibus ſacris miniſterijs indigeant, eaque, ut cuiuſque neceſsitas poſtulauerit, diligenter exhibeant.

Non exſpectent, ut ab infirmis uocentur, ſed ipſi in eorum domos ultro ſe conferant, ac opportune, importuneque eorum ſaluti neceſſaria ſuppeditent, & Sacramenta miniſtrent.

Si cuiuſquam eorum incuria factum eſſe comperierint, ut infantes ſine Baptiſmo, aut adulti ſine Pœnitentiæ uiatico, uel Extrema unctione decedant, grauiter in eum animaduertatur.

Cuiuſque Sacramenti adminiſtratio gratis omnino, ac iuxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ritum, ſumma cum ueneratione, & reuerentia fiat: &, qui ad aliorum ſordes abluendas accedunt, purgent ſe prius Sacramentali peccatorũ confeſsione, uel, ſi confeſſoris copiam non habent, & temporis anguſtia premuntur, de peccatis ſaltem conterantur, nec aliquid in ſe mortiferi peccati culpæ inſidere patiantur: neceſ-

se est enim, ut munda sit manus, quæ diluere sordes curat, & ne forte in eos merito illud dici posit, Medice, cura te ipsum.

Præter idoneorum Ministrorum delectum, alia etiam æque necessaria, ac utilis solicitudo habenda est, ut, qualis sit cuiusq. Ecclesiæ custos, seu Sacrista, diligenter inspiciatur; ne, qui in sacrorum custodem, &. dispensatorem eligitur, is sacrilegus, aut dissipator exsistat.

In quacumque Ecclesia, ubi sanctissimæ Eucharistię Sacramentum, & sacra olea seruantur; ac Sacrista haberi consueuit, is sit in Presbyteratus ordine cõstitutus, probatæ uitæ, & laudabilis conuersationis, cui tuto sanctissima Eucharistia, sancta olea, ac fontem baptismalem custodiendi, ac conseruandi cura demandetur. huic uni, etiamsi plures Sacristæ fuerint, tradantur claues, quibus ea Sacramenta occluduntur, nec eas nisi alteri, etiam Presbytero, dum abesse cogitur, credat. Vbi uero Sacrista non habetur, Parochus, seu Rector Ecclesiæ claues penes se retineat, nec ab alijs, quam a Presbyteris, tractari, ac ministrari patiatur, quod Episcopi omnino seruari præcipiant.

Episcopi, in suis diœcesibus residentes, dum legitime impediti nõ sunt; ipsi quotannis in Cena Domini Chrisma, aliaq. sacra olea conficiant, seu benedicant; confectaq. seu benedicta ad

diœ-

diœcesanas Ecclesias; non per Clericos in minoribus ordinibus cõstitutos, cum alienum sit a sacrorum Canonum instituto; sed per Presbyteros, uel saltem per Diaconos, aut Subdiaconos superpelliceo indutos, laterna cum candela accensa præcedente, deferantur, salua tamen consuetudine illarum Ecclesiarum, in quibus aut honorificentius deferri, aut processionaliter a clero in oppida recipi solent.

In Sanctæ Seuerinæ clero, & aliarum Ecclesiarum diœcesibus, in quibus Presbyteri tantum ad ea recipienda accedere consueuerunt, hunc morem, ueteri usu receptum, & antiquis Canonibus consonum, seruari mandamus.

Parochi, ad aliam Ecclesiam transeuntes, successori tradant, quæ ad dimissam Ecclesiam pertinent instrumenta, & documenta quæcũq. ac simul libros etiam, in quos Baptizatorum, Confirmatorum, eorum, qui Matrimonia contraxerunt, & qui e uita decesserunt, nomina retulere.

De Sacramento Baptismi.

AD infantes de sacro fonte suscipiendos Parochi non admittant Monachos, & alios, qui a sacris Canonibus ab huiusmodi susceptionibus arcentur.

Moneant ipsos patrinos, ut cognoscant, se eorũ,

quos in Baptiſmo ſuſceperunt, uelut parentes eſſe, & quaſi apud Deum fideiuſſores, ac debere illos, uti filios ſpirituales, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, Doctrinam Chriſtianam, ac bonos mores, & uirtutes edocere.

Linteolum, quo poſt unctionem Chriſmatis in uertice caput tegitur baptizati, ſit candidũ &, mundum, & ex tela, quoad eius fieri poteſt, ſubtili, ut innocentiæ, & Chriſtianæ puritatis candorem, quem ſignificat, repræſentet.

Parochi diligenter inſtruant obſtetrices, in ſuis Parochijs commorantes, ut materiam, & formam huius Sacramenti optime ſciant, atque illud non niſi in caſu neceſsitatis, & debita forma ſeruata miniſtrent.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmandi omnes lotis, ac mundis frontibus, capillis ſupra frontem pendentibus tonſis, nullo mendaci fuco, habitu modeſto, & quam maxima humilitate, ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum accedant.

Qui hoc Sacramentum antea non ſuſceperint, alios tenere non debent.

Decet mares à maribus, fœminas à fœminis teneri. Ne quis teneat eum in Cõfirmatione, quẽ in Baptiſmo ante ſuſcepit, niſi neceſſitatę cogẽte.

Patri-

Patrini, matrinæ, & fideles omnes, qui adstant in celebratione tam præcipui Sacramenri, remotis risu, uanis colloquijs, clamoribus, & omni actu immodesto, pie, deuote, & cum attentione intersint.

Adsint in Ecclesia Parochi, ut Confirmatorum, & patrinorum nomina in codicem referant, die, ac confirmantis Episcopi nomine prenotatis.

De sacra Eucharistia.

SAnctissimi Corporis Domini Sacramentum ad infirmos sub umbella, cum cereis facibus, & duabus saltem laternis, tintinnabulo, & aspersorio honorifice deferatur, Ad umbellam autem gestandam, ubi commode fieri potest, Clerici superpelliceis induti; sin minus, nobiles, aut alij ciues, uel saccis induti confratres adhibeantur.

Domestici eius, qui communicaturus est, mensam cum mappula munda, candelis, uino, & aqua prope lectulum infirmi præparent, in qua pyxis, dum uiaticum infirmo administratur, honeste reponi possit. ipsi uero, ubi tintinnabuli significatione Sacramentum domui appropinquare intellexerint, exeant illi obuiã, & qua decet reuerentia comitentur, se indignos, in quorum tectum subeat tanta Maiestas,

ſtas, exemplo Centurionis agnoſcentes.
Sacerdos, cum ad Eccleſiam redierit, poſt Antiphonam, Verſiculum, & Orationem in honorem ſanctiſsimi Sacramenti recitatam, ac datam de more benedictionem, enunciet populo quas indulgentias ea actione ſit aſſecutus.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CONfeſſarij Sacerdotes, dum ad mulierum ægrotantium audiendas confeſsiones accedunt, nec aliquando ſine comite, ubi commode fieri poteſt, in loco domus congruo præſtolante, nec noctu ſine lumine illud munus exerceant.

Sacerdos, qui neceſsitate cogente a peccatis abſoluerit, quem alias abſoluendi facultatem nõ haberet, relinquat apud ægrum ſchedulam, qua ſe eius peccata audiſſe, & abſolutionem impendiſſe ſignificet.

Medici, tam Phyſici, quam Chirurgi, cenſuris Eccleſiaſticis, & pœnis cogantur ab Epiſcopis ad præſtandum iuramentum de conſtitutione ſanctæ re. Pij Papæ V. qua infirmos, qui peccata ſua confiteri, & ſacram Communionem percipere neglexerint, tertio uiſitare prohibentur, fideliter obſeruanda. Qui uero iurauerunt, ut iuſiurandum ſeruent, & adimpleant, modis omnibus adſtringantur.

Con-

Constitutionem autem prædictam, quæ ex decreto superioris Prouincialis Concilij semel in mense in singulis Cathedralibus, & Parochialibus Ecclesijs publicari deberet, quater saltem in anno in Dominicis ieiunia quatuor temporum præcedentibus, in eisdem Ecclesijs frequenti populo legendam Episcopi curent.

Sunt nonnulli, qui, dum in facinora prolapsi sunt, quorum absolutionem ad suos Episcopos pertinere cognoscunt, uel quoniam tamquam sus ad uolutabrum luti reuersi, in eisdem, a quibus abstinere promiserunt, libidinis, odij, aut auaritiæ sordibus uolutantur, proprij Sacerdotis, seu Parochi seueritatem metuunt, eiusq. iudicium declinare student. Itaque, cum uident prope esse Paschale tempus, in proximas terras, uel diœceses, data opera, quasi negotij causa, migrant, ibiq; ignoti, confitentur; medio autem tempore, dum Parocho confessuri sunt, ab illis se abstinent, ut sic appareant stetisse promissis.

Quorum fraudibus obuiare, ac saluti consulere cupientes, Confessarios omnes nostræ Prouinciæ monitos esse uolumus, ne huiusmodi homines (casu necessitatis excepto) Quadragesimalibus, aut Paschalibus diebus ad Confessionem recipiant, sed ad eos Sacerdotes, in quorum Parochijs maiorem anni partem do-

micilium habuerunt, omnino remittant.

Qui uero consulto, absque sui Ordinarij, seu Parochi licentia, instante Paschali tempore, alienam diœcesim accesserit, ibiq; peccata sua confessus fuerit, à proprio Parocho tamquam non confessus habeatur; nec quicquam momenti absolutionem illam habere sibi persuadeat, quam ab eo, qui in se nec ordinariam, nec subdelegatam iurisdictionem habebat, fraudulenter extorsit.

De illicitis contractibus abolendis.

CVpiditatem, omnium malorum radicem, in animarum perniciem late grassantem, quantum Domino adiutore possumus, in nostra Prouincia compescere cupientes, iuxta sacros Canones, & fe. re. Sixti Papæ V. Constitutione ab his, qui sequuntur, contractibus omnino cauendum, atque abstinendum esse decernimus, & declaramus. Si qui contrafecerint, in eos, uti usurarios, & fœneratores, uia iuris, alijsq; opportunis remedijs procedetur.

Pecuniam, aliasue res nemo sit, qui in societatem mercatoribus, opificibus, aut negotiatoribus conferat, ea condicione, ut sors, uel capitale, fortuitis casibus non exceptis, sit semper integrum, & saluum.

Pecudum item, & caprarum, aut porcorum greges,

ges, aut uaccarum, uel equarum armenta, aut alia huius generis animalia, pastoribus, aut quibuscumq. personis ad caput saluũ, sine ulla exceptione casuum naturalium, aut fortuitorum, ne tradantur.

Certa lucri quantitas pro incerta, ueluti tot pro quolibet centenario, societatis nomine, nullo pacto, aut obligatione constituatur.

In frumentorum emptione caueant emptores, ne ob anticipatam solutionem aut mutuatam pecuniam ullam pretij diminutionem, aut mensuræ accessionem quærant, paciscantur, aut accipiant.

Qui pecuniam mutuo dederit, cautionem ab eo, qui mutuo acceperit, qua se tantum frumenti mutuo ab illo accepisse, uel emisse confiteatur, polliceaturq. se tali tempore, aut mense, uel redditurum frumentum, uel illud quanti ualuerit soluturum, ne sponte quidem oblatam recipiat.

Pactiones, quibus emptor frumenti cum uenditore conuenit, ut tradita pecunia non liceat uenditori frumentum emptori statim, aut alio quouis tempore tradere, sed illud retinere debeat ad omnem emptoris instantiam, non ipsius, qui emit, sed eius, qui uendidit, periculo illicitas esse declaramus.

Idem statuimus de eo, qui emit a non habente

frumentum ea conditione, ut, quandocumq; fuerit a ſe requiſitus, illud tradere, uel quanti tunc temporis ualuerit ſoluere teneatur.

Vbi debitor ſoluendo non eſt, cautionem, qua ſe tantum frumenti menſe Aprili, uel Maio, aut redditurum, aut ſoluturum promittit, creditor ne recipiat, neq; etiam ſi nullus certus menſis, aut tempus exactioni, aut ſolutioni præfigatur; niſi uere pecuniam illam negotiationi huiuſmodi deſtinaſſet: idq; cum compenſatione periculi, & expenſarum deductione fiat: caueaturq; in talibus contractibus, ne ob dilati temporis æquitatem (ut uocant) triticum maioris, aut pluris iuſto pretio computetur.

Omnino, ubi frumentum uere, & cum effectu non uenditur, aut uenale non extat, uel ſperatur, cautionem de eo empto, & uendito, aut uendendo, & emendo, uel reddendo, ut ſimulatam, & palliatam, ita iniquam, & illicitam eſſe declaramus.

Quod autem de re frumentaria dicimus, idem de quibuſuis animalibus, ſericis, frugibus, pannis, alijſue rebus negotiationi expoſitis, dictũ, ſtatutum, decretumque cenſeatur.

Notarij meminerint, ſe iuraſſe, de uſuratijs, ac quibuſuis illicitis contractibus Inſtrumenta nõ confecturos: & propterea caueant, ne periuri fiant, & tam ipſi, quam alij, qui ad hæc ſcri-

benda

benda assumuntur, uideant, quid agant, ne suo ministerio se, & contrahentes æternæ mortis periculo exponant.

De Vespertina oratione.

ORationis Vespertinæ institutum, quo certis Campanæ ictibus prima noctis hora fideles ad orandum inuitantur, sicubi adhuc in nostra Prouincia receptum, aut introductum non est, introducatur; &, ubi intermissum fuerit, iterum in usum reuocetur.

Indulgentiæ a fe. re. Gregorio Papa XIII. concessæ ijs, qui in hac Prouincia se in tam pio, ac salutari opere exercuerint semel, & iterum in anno, uidelicet prima Dominica Quadragesimæ, & in festo Assumptionis gloriosæ, & Beatissimæ semper Virginis Dei Genitricis Mariæ in omnibus Prouinciæ Ecclesijs Cathedralibus, & Parochialibus publicentur.

Moneant Parochi sæpius plebes suas, & præsertim patresfamilias, ut continuo, dato Campanæ signo, domesticos quisque suos conuocet, ut domi per illud breue tempus orent, maxime uero in eo se exerceant, ut, quid eo die commiserint, uel omiserint in Diuinæ Maiestatis offensam, diligenter examinent, & a Deo ueniam pijs precibus impetrare studeant. Si nihil pœnitendum admisisse copererint, Deo bono-

bonorum omnium largitori, gratias agant, ac noctu diuq. eius ope magis, magisque muniri petant.

In eo item signo, quod in eleuatione sacratissimi Corporis & Saguinis Domini Nostri Iesu Christi ab Ecclesia Maiori, aut Parochiali datur, ex ueteri more, fideles omnes, qui extra Ecclesias, etiam si ruri, aut foris sunt, ad genua flectenda, & ad adorandũ, aut alia religionis, & reuerentiæ signa facienda, per Parochos, & concionatores sedulo admoneantur, & excitentur.

De Extrema Vnctionis Sacramento.

VIgere adhuc animaduertimus in nonnullis Ecclesijs consuetudinem, ut Clerici, oleum infirmorum comitantes, quartam argentei denarij partem, seu plus, minusue, si infirmus decesserit, ab eius heredibus exigant, quæ cum sacris canonibus aduersetur, toleranda non est. Idcirco abusum hunc præsentis decreti uigore tollimus, & abolemus.

Gossipium, aut stupa, aut tela, ubi Sacerdos in infirmorum unctione digitos absterserit, statim cum ad Ecclesiam redierit, ipse aut Sacrista comburat, & cinerem in sacrarium communo proijciat. Vasculum item, in quo gossipium, stupa, seu detersio defertur, idem continuo

abluat,

abluat; & aquam in idem sacrarium similiter proijciat.

De Sacramento Ordinis.

CVm sacrorum ordinum collatio proprium Episcoporum munus sit, maxima cura, & diligentia pro rei grauitate debet exerceri. Quapropter, hortantes Episcopos, ut, quæ antiqui Canones, Sacri Generalis Concilij Tridentini decreta, & Summorum Pontificum Constitutiones ea in re obseruanda censuerunt, asidue meditentur, hanc examinis, & diligentię rationem proponimus, his locis, & temporibus congruam, nec tamen ab eisdẽ decretis, & constitutionibus alienam.

Quoniã admonet Apostolus, ut nemini cito manum imponamus, neq. communicemus peccatis alienis, & Sanctus Leo Papa dicit: quid est cito manus imponere, nisi ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante tempus meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non comprobatis? &, quid est, communicare peccatis alienis, nisi talem effici uoluntate, qualis est, qui non meruit ordinari? Idcirco in ordinibus conferendis curam oportet esse perspicuam: nam melius est, Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint di-

gne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.

Episcopus igitur antę ordinationem proponat edictum in Ciuitate, & Diœcesi, quo, ut per mensem eum adeant, primam tonsurā, & minores, seu maiores ordines suscepturi, moneantur, & certum tempus examini obeundo præfigat, atq. interim in Cathedralibus, alijsq. oppidorum maioribus Ecclesijs singulis diebus Dominicis publicę supplicationes habeantur, quibus rogetur Dominus, ut dignos mittat operarios in messem suam.

Cum eos coram se præsentes habuerit, contēpletur uniuscuiusq. uultum, & corporis habitum, &, quos nullo exteriori defectu notauerit, cum commisionalibus literis ad proprios Parochos, uel alios, quos elegerit aptiores, dimittat.

Eius autem, cui Episcopus id negotij dederit, partes erunt, ut diligenti examine a fide dignis inquirat, primo generatim, an is, qui ordinandus est, aliquo impedimento sit notatus, quo sacri Canones eum ab ordinū susceptione repellunt, ueluti si ex homicidio, aut alia quauis causa sit irregularis, suspensus, interdictus, excommunicatus, bigamus, criminosus, periurus, usurarius, aut concubinarius, infamis, ratiocinijs obligatus, seruus, corpore uitiatus, amens,

amens, morbo caduco laborans, peregrinus, illegitime natus. Et si quid ea inuestigatione occultum, publicum, dubiumue deprehensum fuerit, consulatur Episcopus, atq. interim ab Inquisitione desistatur. Idemq. seruetur, cum in aliena dioecesi natus ex causa beneficij, uel domicilij uult ordinari. Si nihil tale in ordinando repererit, mox ad ea, quæ sunt uniuscuiusq. ordinis singularia, inuestiganda procedat.

De eo, qui prima Tōsura initiari uoluerit, inquirat, an saltem sit septennis, an susceperit Confirmationis Sacramentum, an doctrinæ Christianæ Scholam, seu Confraternitatem frequentet, an fraude aliqua moueatur, sæcularis iudicij declinandi causa, an spes, & probabilis coniectura de eo haberi posit, quod sit in Clericali uita, & militia permansurus, & an alicui Ecclesiæ eius opera necessaria, aut utilis esse posit.

Minores ordines suscepturus literis testimonialibus testatum faciat, Clericalem habitum, & Tonsuram asidue deferre, uestem lineam, quod superpelliceum appellant, in Ecclesia, & procesionibus gestare, sui ordinis functiones in Ecclesia, cui adscriptus est, ad præscriptum Episcopi, exercere, Sacerdotibus, & maioribus deferre, ac frequentare sacræ Con-

fessionis, & Communionis Sacramenta.

Præterea Iudimagister, uel ille, sub cuius disciplina educatur, quid de eius moribus, ac uitæ ratione sentiat, uere testetur, literis sua manu scriptis, & obsignatis.

Clericorum, qui in Ecclesiastico seminario aluntur, probatio, quæ in timore Domini, docilitate, bona indole, & ingenio, humilitate, obedientia, ac morum, & uitæ probitate uersatur, ab eius Collegij Rectore petenda erit.

Ad Subdiaconatum, aliumue maiorem ordinem promouendis, doceat eum, cui hæc cura demandata fuerit, an titulo beneficij Ecclesiastici, uel patrimonij uelit ordinari.

Si Ecclesiastico beneficio careat, & ad titulum patrimonij de licentia Episcopi sit ordinādus, pro necessitate, uel commoditate Ecclesię suę, data nota bonorum patrimonij, uel census alicuius, ille, cui hoc onus iniunctum est, exhiberi sibi faciat instrumenta, quibus ipsa bona, uel census libera ordinandi esse probentur; & ea diligenter inspiciat, atq; expendat, ne subsit aliqua confictio, aut fraus: perquirat an libere, & pacifice possideantur; an tota uel pars ære alieno quouis modo obligata exsistāt; an satis sint ad ordinandi congruam pro more patriæ substentationem, ne uel mendicare, aut sordido, uel turpi exercitio uictum sibi quæ-

tere cogatur.

His ita peractis, fiant in Ecclesia maiori, & Parochiali publice festis diebus inter Missarū sollemnia denuntiationes, quibus quis, quo titulo, & ad quem ordinem promoueri cupiat, edicatur: simulq. admoneantur fideles, ut idoneos Ecclesiæ, & salutis suæ ministros a Deo pijs precibus impetrent.

Ipsi uero, qui ad sacros ordines assumendi erunt, sacramentorum frequentia, ieiunijs, atq. assiduis orationibus ad sacra se ministeria digne, & reuerenter accingant.

Aetas cuiq. ordini conueniens, iuxta sacri Concilij Tridentini decretum, examinetur, ne quempiam ad Subdiaconatum ante uigesimū secundum, ad Diaconatum ante uigesimum tertium, ad Presbyteratum ante uigesimum quintum annum promoueri contingat.

Vitæ præterea institutum, & mores a uiris probatę uitæ, & fide dignis diligentissime intelligat, & cognoscat.

Perquirat, an in ordinibus antea susceptis, Ecclesię, cui ascriptus est, assiduum, & diligens ministerium exhibuerit, & an Dominicis, sollemnibusq. diebus, cum Altari ministrauerit, sacram Communionem perceperit.

Vbi hæc omni studio, digentiaq. indagauerit, nihilq. esse cognouerit, quod Ordinis colla-

tionem impedire legitime poſsit, tunc demũ literas teſtimoniales, omnia, ut inquiſierit, ſigillatim exponendo, conficiat; quas cùm ſubſcripſerit, & obſignauerit, ad Epiſcopum quanto citius tranſmittat, uel ei ipſi, qui promoueri cupit, tradat, ad eundem Epiſcopum ſuo tempore perferendas.

Literis a Parochis, atq. a ludimagiſtris (ubi opus erit) acceptis, præſcripta per edictum die, ad Epiſcopum ordinandi conueniant, cui eaſdem, atq. etiam ordinis poſtremo ſuſcepti literas exhibebunt. ijs Epiſcopus diligenter inſpectis, ſi nihil impediat, tunc examinatoribus, aut alijs peritis, ac prudentibus uiris, ſecum, niſi grauiori aliquâ occupatione, aut impedimento detineatur, adhibitis, ad examen procedere poterit.

Si quis uero ad Subdiaconatus ordinem promouendus per annum integrum a poſtremo gradũ minorum ordinum iam ſuſcepto uerſatus non fuerit, caueat, ne iuxta decretum Sacri Concilij Tridentini eum in Subdiaconũ promoueat, niſi aliud ipſi Epiſcopo pro neceſsitate, uel Eccleſiæ utilitate uideatur.

Exactam quandam, & curioſam examinandi rationem his in regionibus exoptari potius, quã exerceri poſſe uidemus. Quare, cum faciendum eſt eorum, qui prima Tonſura initiandi

fuerint, experimentum, quod ad ſcientiam attinet, illud in primis attendi oportet, ne doctrinæ Chriſtianæ expertes, neq. qui legere, uel ſcribere neſciunt, admittantur.

Minores ordines ſuſcepturi ita examinẽtur in ſingulis, ut per temporum interſtitia, quę in ipſis ordinibus conferendis, niſi aliud Epiſcopo expedire magis uideretur, ſacra Synodus Tridentina ſeruari iubet, maior in eis Latini ſermonis intelligentia coaleſcere dignoſcatur, quiq. aſsiduitate ſtudiorum ad eam ſcientiam deuentũri uideãtur, quæ ad ſacros ordines promerendos ſatis eſſe poſsit.

Interrogentur, quæ ſint cuiuſcumq. ordinis, atq. eius maxime, quo tunc initiandi ſunt, functiones.

Optandum quoque erit, ut didicerint Computi Eccleſiaſtici rationem.

Eorum autem, qui ad Lectoratum promouentur, fiat etiam experimentum, an cantu firmo cantare, an per tonos ſingulos pſallere, atq. Lectiones, & Prophetias de more legere, ſeu canere norint.

Ad Sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines promouendorum periculum fieri debet, an in uirtutibus, & literis ita profecerint, ut, quam bonæ frugis exſpectationem in minoribus ordinibus oſtenderunt, hanc ſuperaſſe ma-

gis,

gis, quam amisisse, uideantur.

Interrogentur, quæ sint horum ordinum munera, quæ cærimoniæ, qui cantus in eorum administratione sollemni sint adhibendi, quæ inter hos, aliosq. differentia, quibus libris utantur, unde Sacramentorum doctrinam, rituum Ecclesiasticorum peritiam, & sacrorum ordinem functiones ediscant.

Atq. obiter parua, ac uulgata quædam de Sacramentis in genere ab eis quærantur: &, nisi Catechismum Romanum, & Summam Sacramentorum, uel aliam probatam se habere dixerint, ut quamprimum sibi comparent, moneantur.

Videndum etiam, an Diuinum Officium, ac Horas Canonicas recitare sciant.

Qui in Presbyteros promoueri uolunt, examinentur, an ex aliquibus patribus, uel probatis doctoribus, potissimum uero ex Catechismo Romano Symbolum Apostolorum, Decalogum legis, & Orationem Dominicam, & Sacramentorum numerum, necessitatem, & rationem, aliaq. sacra Mysteria populo, quoties contigerit, explicare, & exponere nouerint, seu possint.

An de pietatis operibus, & de uirtutibus, & de uitijs, atq. peccatis, maxime quæ mortalia dicuntur, sciant apte disserere: An in ijs, quæ ad

Sacra-

Sacramentorum usum, & administrationem pertinent, sint instructi: An singulorum materiam, formam, ministrum, & effectus intelligant: An Pœnitentiæ partes satis compertas habeant: An de defectibus, qui in sacra Missa committi, uel contingere possunt, sint instructi, & qua prudentia, & cautione ijs emendandis, seu corrigendis statim occurrere ualeant.

In Clericis alienæ Diœcesis ordinandis diligenter animaduertendum est, An literas dimissorias sui Ordinarij uel Superioris deferant: An in eis ex subscriptione, sigillo, alioue argumento falsi, aut incerti aliquid deprehendatur: An ex eisdem, uel alijs testimonialibus literis appareat, uitæ, & morum, & reliquarum qualitatum inquisitionem esse factam: An tempus, in eis ad suscipiendum ordinem præscriptum, sit elapsum. Quod si nullum spatium temporis præstitutum fuerit, & nimis uetustæ sint, nec loci distantia earum refectionem, aut confirmationem excuset, non recipiantur: &, an per eas ad plures ordines suscipiendos, nō seruatis temporum interstitijs, sine legitima, ac rationabili causa, dimittantur.

Cum uero huiusmodi literæ ab alio, quam a proprio Episcopo, concedantur, nulla eis fides adhibeatur, nisi de concedentis auctoritate constiterit.

Si

Si nihil eſt, quod literarum uim, ac ueritatem infirmet, tunc circa doctrinæ ſufficientiam, etiamſi a ſuis Ordinarijs, uel Superioribus regularibus examinati, & probati fuerint, examinentur.

Epiſcopo abſente, uel impedito, Clerici ſuæ diœceſis ſine dimiſſorijs, ſiue teſtimonialibus literis ad alienos Epiſcopos ordinum ſuſcipiendorũ cauſa non dimittantur.

Non detur ijſdem literis dimiſſorijs facultas ſuſcipiendi plures minores ordines, niſi ita Epiſcopus magis expedire teſtetur.

Præſcribatur in dimiſſorijs tempus, quo elapſo precipiatur, literas nullius eſſe roboris, & momenti.

Quoniam nihil eſt uita hominis, præſertim in adoleſcentia, fragilius, aut incertius, facile accidere poteſt, ut qui aliquando bonus, atque idoneus habitus ſit, is temporis ſpatio euadat, aut detegatur indignus. Ideo, ne in re tanti momenti ulla fraus, dolus, aut error committatur, ante uniuſcuiuſq. ordinis collationẽ Epiſcopus de uita, moribus, & doctrina promouendi eandem inquiſitionem faciat diligentẽ, ac ſi alias non feciſſet.

Græcos, & Albanenſes, qui inter eos diuerſantur, in eorum ordinatione, per Epiſcopos Latinos, aut, cum eorum dimiſſorijs, per Antiſtites

Græ-

Grecos, communionem sanctæ Sedis Apostolicæ habentes, habenda, similiter excommunicari uolumus, iuxta tamen eorum ritum, & obseruantiam, ac citra continentiæ uotum, quoad eos, qui ante Subdiaconatum cum unica, & uirgine matrimonium contraxerunt.

Interdicimus autem ipsis Græcis, & Albanensibus, ne ab Episcopo, uel Metropolita aliquo schismatico, uel hæretico, uel communionem & gratiam Sanctę Romanæ Ecclesiæ non habente, se ordinari facere, aut ad id mare transmittere, uel alias ad illum accedere, sub pœna perpetuæ suspẽsionis ab eorum ordinibus, quomodolibet præsumant.

Episcopi a domo sua omnem prorsus auaritiæ suspicionem explodant; maxime uero in Ordinũ collationibus inuigilent, ne officiales ministri, & domestici eius, sigilli, aditus, suffragij, alteriusue occasionis prętextu, quidquam, etiam minimum, etiamsi sponte offeratur, ab ordinandis accipiant: nec notarijs seu actuarijs pro dimissoriarum, ac testimonialium literarum cõfectione aliquid, præter unum carolenum, persoluatur, immo nec id quidem, si aliquod eis salarium pro suo munere exercendo fuerit constitutum.

Qui prima Tonsura, aut quouis ordine, tam a suo, quam de eius licentia ab alio Episcopo,

S gra-

gratiam & communionem Sanctæ Sedis Apostolicæ habente, fuerint initiati, intra mensem ad Archidiaconum, uel ad eum, quem Episcopus huic rei præfecerit, mittat testimonialium literarum suscepti ordinis authenticum exemplum, quod ille seruare, ac nomen, & ordinem in certum codicem referre debet.

De Ecclesiastico Seminario Clericorum.

QVam utilis, & fructuosa fuerit sacri Tridentini Concilij constitutio de Seminario in singulis Cathedralibus Ecclesijs erigendo, res ipsa magis explicat, quam oratio. Quare dolendum est, quod multæ Cathedrales Ecclesiæ tanto adhuc commodo carere non in grauis iacturæ loco habeant, quæ res cum diutius toleranda non uideatur, decreto alterius Prouincialis Synodi sub nostro Prædecessore habitæ adhærentes, decernimus, ut singuli Episcopi intra tres sequentes proximos menses Diœcesanam Synodum habeant, in qua cum suo quisq. Capitulo, & Clero decernat, qua ratione eiusdem sacri Concilij Tridentini Decretum, & Prouincialis prædictæ Synodi constitutio debitæ executioni mandetur: & quæcumq. ratio inita fuerit, eadem alijs tribus ab inde mensibus expedia-

diatur, ita ut sex mensium spatio uel Seminarium re ipsa in singulis Cathedralibus Ecclesijs, aut alibi intra diœceseos fines instituatur, uel ad hoc, quod in Metropolitana Ecclesia iam diu olim institutum fuit, Clerici eo numero, quem cuiusque diœcesis contributio patitur, educandi mittantur, alias, dicto termino elapso, negligentes acriter correpti, sacræ Congregationi Concilij denuntientur.

De habitu Clericali.

CLericalem habitum ante primam Tonsuram assumere, aut post eam assumptum abijcere, absq. Episcopi licentia in scriptis obtenta, nemini liceat. huiusmodi autem licentia sine causa ab Episcopo minime denegetur.

Ne quid pro admissione in Capitulum detrahatur, aut accipiatur.

COnsuetudinem, quæ in his maxime partibus inualuit, ut prouisis de Dignitatibus, aut Canonicatibus, uel receptis in seruitiũ Ecclesiæ, quos Presbyteros simplices appellant, unius, uel plurium annorum fructus, portiones, & prouentus integri, aut eorum pars aliqua detrahatur, quæ ceteris de Capitulo accrescit, ut abusum, & corruptelam uigore

Sacri Concilij Tridentini, ac sanctæ me. Pij Papæ V. Constitutionis, quę incipit, Durum nimis, præsenti decreto tollimus, & abolemus.

Quin etiam, si eo nomine adimerentur, ut fabricæ, sacristiæ, aut alterius Pij loci usibus inseruiant, nisi constet morem ante Concilium Tridentinum prædictum cœptum, & continuatum reperiri, similiter tollimus, & abrogamus.

Vbi uero ante prædictum tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidiam partem sacristiæ, fabricæ, uel pio loco, reliquam prouisis ipsis tribui debere declaramus, præterquam ubi talis fructuum deductio sex mensiũ spatium non excedit.

Donaria, Dulciariaq; & Symbola, quæ dantur, aut fiunt pro receptione in Capitulum, aut in fratrem, nec promittantur, nec exigantur.

Qui contrafecerint, præter pœnas in prædicti Sacri Concilij Tridentini decreto contentas, uigore etiam prædictæ Constitutionis Pij Papæ V. se in excommunicationis sententiam, præterquam in mortis articulo, Sedi Apostolicæ reseruatam, Capitulum in interdictum, & Episcopum in suspensionem, si eius rei particeps fuerit, nouerint incidisse.

De

De Seruitoribus Ecclesiæ.

IN eligendis Ecclesiæ seruitoribus, aut seruientibus, qui uulgo Iaconi seluatici appellantur, Episcopi, ea, qua decet, circumspectione procedant, ne uidelicet ditiores assumant, aut plures, quam cuiusq. loci qualitas, aut Ecclesiarum, & Curiæ suæ necessitas exigere uideatur; ne eorundem amplior, quam par est, numerus, aut opulentia redundet in graue populi, seu Vniuersitatis detrimentum.

De Sacramento Matrimonij.

QVoniam usu receptum est, ut sponsalia raro a sponsis ipsis, frequentius autem, ac fere semper sponsi & sponsæ nomine a parentibus, propinquis, aut amicis contrahantur, ne res tanti momenti, inscijs aliquando, aut inuitis sponsis, decernatur, idcirco Parochis omnibus prohibemus, ne denuntiationes in Ecclesia faciant ex Sacri Concilij Tridentini precepto, quin prius sponsi, & sponsæ uoluntatem scire procurent. quod si in duabus Parochiis, aut diuersis in locis habitant, idem uterque Parochus efficiat, & alter alterum de uoluntate sponsi in sua Parochia degẽtis faciat oretenus, aut scripto certiorem; &, si quid inuentum ab ipsis, uel eorum altero fuerit, quo

dubite-

dubitetur de uoluntate sponsi, uel sponsæ, ne prius ad denuntiationes procedant, quam id, qualecumque sit, Episcopo significauerint.

Sponsis uero præcipimus, ut, quoad matrimoniũ per uerba de præsenti inter eos nõ fuerit in facie Ecclesię legitime contractum, non modo eadem in domo non habitent, sed ne alter quidem ad alterius domum accedat: proindeq. illis non solum concubitum, sed concubitus etiam occasiones, ut uisitationes, colloquia, comessationes, omneq. consuetudinem interdicimus & prohibemus.

Si autem contra nostram istam prohibitionem sponsus ad sponsæ, uel illa ad eius domiciliũ declinauerit, aut aliqua inter eos consuetudo, ususue intercesserit, non liceat Parocho, inconsulto Episcopo, ad matrimonij per uerba de pręsenti solemnitatem, & benedictionem deuenire, sed, cum primum id resciuerit, statim illum ea de re commoneat; eiusq. licentiam exspectet. Si quis contrafecerit, seuere puniatur.

De Sepulturis.

PRope altare mortui non sepeliantur, nec de cetero sepulturæ effodiantur, aut fiant, sed factę tollantur, & solo æquentur.

Sed &, quantum fieri potest, curent Episcopi, ut

ueterum more, fidelium defunctorum corpora in cœmeteriis sepeliantur, & in eis sepulturæ, aut monumenta exstruantur, non autem ita passim in Ecclesiis.

Sepulturæ lapideis claudantur operculis.

Cum autem illas repleri contingat, & ob id eas euacuari oporteat, Episcopus, aut eius Ecclesiæ Rector cineres, & ossa non in communi, aut profano aliquo loco, sed in cœmeterio, aut honesto aliquo prope Ecclesiam recessu, ubi pedibus incedentium non conculcentur, recondi iubeat. ubi commode id fieri non potest; in aliam uacuam sine alterius præiudicio sepulturam reponantur.

Clericorum corpora a Clericis, laicorum a Laicis, saccis suarum Confraternitatum indutis, efferantur.

Curent pro sua caritate Episcopi, ut in qualibet Terra, seu loco suarum diœcesum instituatur, & sit Confraternitas, quæ defunctorum corpora, præsertim pauperum, & peregrinorum ad Ecclesiam deferat, & comitetur, ac sepeliri faciat.

De mortuis non immoderate lugendis.

AD ea, que superiori Prouinciali Concilio contra immoderatum luctum super defunctis constituta sunt, addendum esse cen-

lemus,

ſemus, ut abuſus mulierum, facies ſuas dilaniantiũ, ſeu incidentiũ, ac crines uellentium in propinquorum morte, omnino tollatur. Scriptum eſt enim, Super mortuo non incidetis carnes ueſtras, neq. figuras aliquas, ſeu ſtigmata faciatis uobis.

De Funeralibus.

SIcut antiquum, & laudabilẽ morem erogandi aliqua Eccleſijs, atq. illis, qui funeribus aſſociandis interſunt, ſeruari, æquum, & rationi conſentaneum arbitramur; ita indignum exiſtimamus, Clericos populis prauis funeralium exactionibus eſſe moleſtos. Quare Epiſcopi, pro ſua prudentia, & pietate, in prima uiſitatione, antiqua ac laudabili cuiuſque loci conſuetudine perſpecta, taxam aliquam æquam, moderatam & tolerabilem præſcribant, ſeu ſolitam reducant, eamq. perpetuo ac firmiter ſeruari mandent.

De teſtium Synodalium officio.

TEſtes Synodales in Prouinciali Synodo ex unaquaque diœceſi duo, in Diœceſana, quot Epiſcopus uiderit expedire, ætate maturiores, honeſtiores, ac ueraciores Sacerdotes ſtatuantur, qui, ſi id muneris obire, & electioni de ſe factæ aſſentiri noluerint, etiam cenſuris,

ris, & pœnis cogantur inuiti.

Electi continuo ad pedes eligentis Antistitis genuflexi iurent ad reliquias Sanctorum, se, quidquid contra uoluntatem Dei, & rectam Christianitatem in loco, seu Parochia sibi commissa fieri, uel factum esse uiderint, aut pro certo audierint, aut indicatum sibi fuerit, Synodalem causam esse, & ad ministerium sui Metropolitani, uel Episcopi pertinere, quandocumq. ab eodem, aut eius misso interrogandi fuerint, non amore, uel odio, non timore, precibus, aut pretio, non parentela, nec ullo deniq. respectu celaturos.

Si absentis electio facta fuerit, statim ubi id electus rescierit, ad Episcopum accedat, ex præscripta formula iuraturus; ac iuramenti præstiti publicum instrumentum infra mensem, si in Prouinciali Synodo testis creatus est, ad Archiepiscopum transmittatur.

Eorum partes erunt, ut absq. ulla iurisdictione, sed simplici, ac (quoad eius fieri poterit) occulta indagatione inuestigent Cleri & populi mores, in ijs maxime, quæ publicam offensionem, & scandalum inferre uidentur.

In Clero perquirant,

An Ecclesiæ consuetis, & debitis seruitijs, & obsequijs fraudentur.

An res earum quouis modo alienentur, aut pi-

gnore, hypotheca, aliоue onere grauentur:

An, qui beneficia quæcumq. Ecclesiastica obtinent, suis muneribus satisfaciant:

An Dominicis & festis diebus, qui curam gerunt animarum, inter Missarum sollemnia plebes sibi commissas pascant salutaribus uerbis, monitisq. salutis:

An ijsdem diebus a prandio, pueros, puellasq. Christianæ Doctrinę rudimentis instruant:

An Parochias suas deserant:

An Sacramenta, ea, qua decet, reuerentia, sollertiaque ministrent:

An eorum incuria factum sit, ut aliqui, non suscesceptis Pænitentię, Viatici, & Extremæ Vnctionis Sacramentis, decesserint:

An ex Clero aliquis, cum ordinis dedecore, sordido quæstu, aut inhoneste uiuat, & an sine habitu Clericali, & Tonsura incedat.

In populo animaduertant,

An dies Dominici, & festi de præcepto sanctificentur:

An ieiunia ab Ecclesia statuta obseruentur:

An fundi, uel census Ecclesiastici ab aliquibus occupati detineantur:

An decimæ soluantur:

An sint aliqui publice facinorosi, ut puta cōcubinarii, sacrilegi, fœneratores, blasphemi, excommunicati, hæretici, libros hæreticorum habentes,

tes, ſchiſmatici, magijs, incantationibus, alijſue ſuperſtitionibus incumbentes, inceſtuoſi, ac matrimonio in gradu prohibito coniuncti.

Generatim uero, quæcumq. Sacri Concilij Tridentini decretis, Pontificijs Conſtitutionibus, Synodalibus Epiſcopalibuſue Edictis, aduerſantia, quæq. correctione uel emendatione, aut reformatione indigeant, deprehenderint, illa in ſcriptis annotata ad Metropolitanum, cum primum Prouinciale Cōcilium indicitur, (niſi talia fuerint, quæ maiorem celeritatem deſiderent) & ſi Diœceſanæ Synodi teſtes fuerint in ea ad Epiſcopum, deferant uel tranſmittant.

De præparatione ad Prouinciale Concilium.

EPiſcopi, acceptis a Metropolitano literis, quibus ad Prouincialem Synodum euocantur, præcipiant, ut in Cathedralibus, alijſq. ſuarum diœceſum Eccleſijs ad Diuinam opem pro felici eiuſdem Synodi celebratione implorandam, habeantur proceſsiones ſingulis diebus Dominicis, ac quinta quaque feria Miſſa de Spirituſancto celebretur.

Hoc etiam, cum ipſi Diœceſanam Synodum indicunt, ſeruari mandent.

In Metropolitana autem Eccleſia, ubi Synodus celebranda erit, præter eaſdem preces, proxi-

mis ante Concilium diębus triduana oratio, cui Clerus etiam cum aliquo ieiunij die, & populus præmiſſa ſacramentali Confeſsione, & Cõmunione frequens adeſſe debeat habeatur.

Archiepiſcopi item æque ac Epiſcoporum familia, peccata ſua confiteatur, ac omnes prima die Synodi Archiepiſcopo ſolemniter celebrãte communicent. Si uero Epiſcopi in ſingulis Seſsionibus Miſſam ex ordine celebrauerint, quod eſt decentius, & honeſtius, poterit ſuam quiſque familiam ſacra communione reficere.

Ipſi uero Epiſcopi ſuos familiares ac domeſticos eo potiſsimum tempore in timore Domini quam diligentiſsime contineant, ne quid ſcandali ex eorum actibus oriatur: quin potius moneant, ut conuerſationem, colloquia, ac mores ſuos ita componant, ut ſanctitatis quoddam ſpecimen, & odorem ijs, apud quos diuerſati fuerint, relinquant.

Habeant prius doctorum, grauium, & piorum hominum, maxime Eccleſiaſticorum, delectum, quorum opera cum in cognoſcendis, proponendisq. ſuæ quiſq. Diœceſis abuſibus, & exceſsibus, qui reformari debent, tum in Conciliaribus actionibus uti poſsint.

Decre-

Decretum Generale.

HÆc, & alia decreta in Præcedentibus Prouincialibus Concilijs edita, cum primum in lucem prodierint, duorum mensium spatio Episcopi, dignitates obtinentes, Canonici, Vicarij tam generales quam foranei, Parochi, Confessarij, Presbyteri, & Clerici omnes Comprouinciales, sub pœnis nostro quo ad Episcopos, Episcoporum quoad reliquos, arbitrio reseruatis, penes se habere & retinere teneantur. . . . .

Singulæ etiam Cathedrales, Collegiatæ, seu Matrices, & Parochiales Ecclesiæ huius Prouinciæ easdem Constitutiones in aliquo loco, uel Archiuio collocatas, perpetuo seruent.

Si qua difficultas super his decretis exorta fuerit, eam nostræ, nostrorumq. successorum declarationi perpetuo reseruamus, salua semper Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate.

Quoniam a Sanctissimo Domino Nostro Papa Summo Romano Pontifice hæc Synodus non nulla petenda censuit, quandocumq. petentur, Synodi nomine peti decernimus & declaramus. . . . .

Quæcumq. a nobis in hac Prouinciali Synodo acta, statuta & decreta sunt, ea omnia & singula ipsi Sanctissimo Domino Nostro Papæ &

Sanctæ

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum Matris & Magistrę iudicio & correctioni, qua debemus humilitate, obedientia ac reuerentia subijcimus.

Nos Alphonsus Pisanus, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Sanctæ Seuerinæ, de consilio, & assensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum, definientes subscripsimus.

. . . .

. . . . . .

Ego Scipio Gallipulensis Episcopus, & Coadiutor perpetuus Insulanus, consentiẽs subscripsi.

Ego Frater Propertius Resta, Episcopus Gerentinensis, & Cariatensis, consentiens subscripsi.

Ego Claudius Vicus, Episcopus Strongulensis, consentiens subscripsi.

. . . .

. . . . . .

. . . .

. . . .

ERRATA CORRIGENDA.

In Epiſtola, a. 3. lin. ult. Vti Fr. corrige, Vti Frater.
Pag. 8.lin.23.Generali,corrige,generali.
Pag.15.lin.21.ſic,corr.ſit.
Pag.19.lin.9.exiſtimanres,corr.exiſtimantes.
Pag.22.lin.3.Generalis,corr.generalis.
Pag.26.lin.3.Patronarum,corr.Patronorum.
Pag.33.lin.14.conſtitui,corr.conſtituti.
Pag.40.lin.21.inſtitura,corr.inſtituta, & lin.24. ſanctiſſimæ, corrige ſanctiſſimo.
Pag.41.lin.2.omes,corr.omnes.
Pag 42.lin.2.exanimari,corr.examinari.
Pag.43.lin.7.ſubiſtant,corr.ſubſiſtant.
Pag.48.lin.3.detincantur,corr.deterreantur.
Pag.57.lin.15.deſcendentibus,corr.diſcedentibus.
Pag.61.lin.22.curæ,corr.Curiæ.
Pag.64.lin.25.cleticis,corr.clericis.
Pag.67.lin.20.Innentarium,corr.Inuentarium.
Pag.74.lin.25.de.delendum.
Pag.79.lin.24.exhibitiene,corr.exhibitione.
Pag.87.lin.17.Leonis Papæ,corr.Leone Papa.
Pag.113.lin.19.ibi.40.corr. quadrageſimum, & lin. 25. continentnr,corr.continentur.
Pag.117.lin.18.Baptizarorum,corr.Baptizatorum.
Pag.139.lin.13.Fpiſcopi,corr.Epiſcopi.



S. ANASTASIA VIRGO, ET MART.